AD SEPTEM

ACCVSATIONIS CAPITA,

QVAB HODIE MAXIMA IMportunitate per calumnias ſummaque cum iniuria, quidam inquieti, ſcriptis illis ſuis, in capita coaceruant Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ, quos per contumeliam Zuinglianos nuncupant, Henrici Bullingeri Tigurinę Eccleſię miniſtri RESPONSIO: Quæ quidem vt breuis eſt, ita vera ſimul perſpicua & moderata, è Germanico in Latinum Sermonem conuerſa, à IOSIA SIMLERO Profeſſore diuinarum literarum in Schola Tigurina.

Accommoda eſt hæc Reſponſio vel Defenſio illis maximè, qui pertæſi contitiorum & ſcriptorum prolixorum, eruditi cupiunt breui perſpicuo & moderato aliquo ſcripto, de tota illa controuerſia Euchariſtica, &c.

TIGVRI
APVD CHRISTOPHORVM FROSCHOVERVM.
M. D. LXXV.

ORNATISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO, fideli IESV CHRISTI seruo, Domino CHRISTOPHORO THRETIO, amico & fratri honorando, IOSIAS SIMLERVS gratiam & pacem à Deo patre & Domino nostro IESV CHRISTO precatur.

SI quis alius est exterorum, qui magnum dolorem capit ex dissidijs & dilaceratione Ecclesiarum Germaniæ, & huic malo pro viribus mederi cupit, te vnum esse puto Threti frater honorande. Vixisti enim in celeberrimis, quibusque Germaniæ schölis, & amicitiam cum doctissimis viris contractam hactenus sincera fide coluisti, quare fieri non potest quin tibi plurimum doloris afferant calumniæ & contumeliæ, quibus & amici tui nominatim, & integræ quoq; ecclesiæ publicis scriptis proscinduntur. Credo te etiam cum alijs bonis viris exoptare, vt aliquando priorū principum auctoritate publica synodus aliqua instituatur, in qua cõtrouersiæ quæ ecclesiam turbant componantur, aut si tolli prorsus non possunt, saltem moderatio aliqua instituatur, ne hi qui eundem Christum prædicant, se calumnijs & damnationibus mutuis perpetuò lacerent: metuendum enim

est nè dum nos inuicem mordemus, tandem etiam consumamur. Quoniam verò tot impedimenta obijciuntur, ita merentibus peccatis nostris, vt nullam synodum publicam, nedum pacem hoc tempore sperare possimus, hoc vnum nobis restat, vt apud bonos viros ecclesiæ afflictionem, & iniurias quas sustinemus deploremus, & singuli laboremus, quò aliquam opem ecclesiæ pro virili afferamus. Nihil verò mihi iucundius accidere posset, quam tecum & cum tui similibus sæpe de his rebus per literas colloqui, consilia conferre, & consolationem aliquam ex scriptis vestris capere, sed ne hoc gaudio crebrius fruamur, immensa locorũ distantia, & multorum hominum in literis curandis vel negligentia, vel etiã perfidia nos impedit. Quapropter etiam volui nunc te literis his in publicum editis appellare, si fortè aliqua ratione hæ citius ad manus tuas perueniant. Adiunxi autem meis literis libellum à me ex vulgari nostra lingua in Latinum sermonem transscriptum, Reuerendi patris nostri, D. Henrici Bullingeri, in quo ille præcipua capita accusationum, quas aduersus ecclesiam nostram spargunt Aduersarij, enumerat, & ad ea pie, solide, & moderatè respondet. Conatus quidem est Iacobus Suidelinus scriptum hoc confutare, & suis sophismatibus obscurare, sed author ita illi respondit, vt bonis viris omnibus satisfecerit. Scio totam hanc controuersiam tibi notissimam esse, neq; hæc ad te mitto

mitto docendi gratia, sed tamen tibi non ingratum fore existimo compendium, & summam hanc quasi capita ferè omnia grauissimæ controuersiæ oculis subijciuntur, & fortè magno te labore leuabit, si quando apud vos Principes viri rationem certaminis sacramentarij cognoscere voluerint. Non dubito enim pro vestra nobiscum coniunctione, & singulari amore quo ecclesias nostras semper complexi estis, complures esse non tantũ verbi ministros, sed magnificos quoq; & generosos dominos, quos cura ecclesiarum nostrarum tangat, quique parati sint consilio & opera sua hæc tristia dissidia tollere & sedare, si qua fieri possit. Quomodo autem nos iuuare possitis, non est meum vos docere, quum vos pro vestra prudentia idipsum optimè perspecturos & deliberaturos, si hæc cogitationes vestras conuertatis, non dubitem. Equidẽ non parum valet apud moderatos homines vestrarum ecclesiarum exemplum, quæ sublatis aut sopitis non leuibus controuersiis in vnam eandemq; doctrinæ confessionẽ consenserũt. & quidẽ non dissimilem huic quam Helueticæ, Rheticæ, Sabaudicæ, Gallicæ, Anglicæ, Scoticæ denique & Hungaricæ ecclesiæ probarunt. Atque vtinam pluribus per Germaniam vestra hæc concordia perspectior esset, aut saltem eam diligentius expenderent, si fortè aliquorum animi ad pacis & concordiæ studium vestro exemplo inclinari possent. Quod si exemplo vestro adiungantur scri-

pta vestra aliqua, & fraternæ admonitiones atq; adhortationes, certum est illa non parum ponderis apud bonos & moderatos viros habitura esse. Neque enim vestra ideò fastidio erunt nostris hominibus, quòd multa de hac re à Germanis scripta extent, sed potius quia ab exteris afferuntur, & noua sunt, auidius vt opinor legentur. Vestri homines, atq; etiã Hungari, multa acutè, piè & erudite contra Antitrinitarios & Samosatenianos vernacula & latina lingua scripserunt, & tamen audio nostrorum hominum scripta, quæ de eadem controuersia edita sunt, grata esse vestris hominibus: quare nolite dubitare vestram quoq; operam, & scripta quæcunq; ad tollendas Germanicarum ecclesiarum controuersias ediderit is, multis bonis viris complacitura esse. Quoniam enim propter multa incommoda vix potest fieri, vt ex tot tamq; longe dissitis regnis in vnam synodum conueniant ministri ecclesiarum Euangelicarum, non video qua ratione melius ecclesiæ consuli possit, quàm si per literas aut publicis scriptis de controuersis dogmatibus sententias inter se conferant, & omnibus modis pacem cõficere studeant. Veruntamen hæc ad te mi Threti scribo, non vt tibi aut cuiquam alteri quicquam præscribam, sed tibi homini amico & fratri meam sententiam exponere volui, paratus & tua & aliorum rectius fortè sentientium consilia audire & sequi. Neq; arbitror quenquã fore qui hoc

mihi vitio vertat: si enim alijs licet quotidie in publicum edere libellos refertos calumnijs, cõuicijs & contumelijs bonorum virorum, cur non mihi liceret mea consilia & cogitationes, quæ tantùm ad concordiam & pacem ecclesiarum spectant, amico & fratri etiam publicis literis cõmunicare? Vtinam verò tandem nobis illucescat illa dies, quæ pacem firmam ecclesijs nostris afferat: quòd si prohibentibus peccatis nostris vota hæc inania sunt, hoc saltem agamus, vt quos iamdudum eiusdem fidei professio coniunxit, mutua charitate arctius quotidie coalescant, neq; vllis mundi & satanæ artibus se disiungi patiantur. Atq; hoc quidẽ beneficio Dei hactenus vestris nostrisq; ecclesijs cõtigit, Deumq; precor vt hæc coniunctio firma perpetuaq; existat, quod te vna mecum velle & optare certissimè noui, idemq; de magnificis & generosis Dominis, atq; pijssimis ecclesiarum vestrarũ ministris, nobis omnibus persuasum est. Quapropter etiam rogamus, non ego tantùm sed vnà mecum honorandi fratres mei ecclesiæ Tigurinæ ministri, vt hos omnes reuerenter & officiose nostro nomine salutare velis, ac nominatim D. Bullingerus, quem nobis Deus nuper è graui morbo restituit, magnifico Domino Dlusio & tibi plurimam salutem adscribere iussit. Tiguri 10. Calendas Maij.

1575.

AD SEPTEM ACCVSATIONIS CAPITA, QVAE Tigurinae ecclesiae ministris obiiciuntur, D. HENRICI BVLLINGERI Responsio.

PRAEFATIO AD BENEVOLUM Lectorem.

NON *mirum est hominibus pijs & pacem amantibus summopere displicere infinitas contentiones & rixas, atq; acerba & contumeliosa scripta, quorum nullum modum & finem hodie faciunt homines quidam peruerso iudicio praediti, qui neq; apte tacere, neq; aliquid rectum & vtile prudenter loqui & scribere norunt. Etenim iam à nonnullo tempore scripti & in publicũ editi sunt libelli nimis multi, pleni & referti petulanti depravatione sanae & simplicis doctrinae, horrendis item contumelijs, conuicijs atq; mendacijs, vt nimirum alicui videri possit, si Calumniator ipse ab inferis veniat, ac os suum, calumniarum & mendaciorum instrumentum, aduersus veritatem & insontes homines exercere velit,*

num

num posßit turpius & impudentius & horribilius agere & loqui.

Quoniam verò non tantùm nostras personas, quos Zuinglianos vocant, deprauationibus & calumnijs petunt, sed veram & Christianam doctrinam & ecclesiam, cuius nos præcones & ministri sumus, etsi parati essemus tacere & patienter Dei causa sustinere conuicia, contumelias, & calumnias, cogimur tamen diuinæ veritatis & ecclesiæ tuendæ causa eorum petulantiæ nos opponere. Neq; enim pati debemus, vt simplices Christiani (qui causam hanc non bene cognitam habent, & arbitrantur hos calumniatores, qui alioqui garriendo multum valent, iustam conuitiandi causam habere) ab ipsis fascinentur & seducantur. Quapropter constitui, Deo adiuuãte, capita Accusationis quam nobis intendunt, summatim proponere, & his nostram responsionem breuiter quoad eius fieri potest opponere: postremò Christiano lectori iudicium secundum veritatem committere. Interea omnes qui nostram responsionẽ legunt, oro per Deum, vt benevolè & attentè nos audiant, neq; existiment nos ex eorum numero esse, qui omnem pa-

cem violent & classicum canant, sed potius fa
tuant nos quidem pacis cupidos esse, sed eam ab
Aduersarijs nostris impetrare nõ posse, atq; ita
cogi, & vt vulgò dicitur, crinibus arreptos in
certamẽ protrahi. Verùm nos Lectorum gratia
& honoris ergò, sordes illas quas spargunt, hoc
est impudentes & falsas contumelias, atq; con-
uicia, quibus eorum libri abundant, non com-
memorabimus, sed vt ante diximus, duntaxat
capita accusationis, qua nostram doctrinam &
ecclesiam impugnant, recitabimus, & his no-
stram Responsionem opponemus: ipsos
verò deinceps Aduersarios no-
stros nominabimus.

PRIMVM

PRIMVM CAPVT ACCVSATIONIS.

Zvingliani negant verba Christi quibus in sacra cœna usus est, dicens, Accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Aiunt enim, corpus & sanguinem Christi non esse præsentia in sacramento corporaliter, naturaliter, substantialiter aut essentialiter. Sed sumi à fidelibus spiritualiter, neq; corporeo ore pariter à fidelibus & infidelibus percipi. Imò docent in cœna Domini tantùm esse nuda & uacua signa, ideoq; tantùm signa ipsa, panem & uinum, dari & percipi.

RESPONSIO.

PRIMVM sicuti nos ipsos neq; Zuinglianos neq; Lutheranos nominamus, sicà nemine patiemur nos hominum nominibus huiusmodi grauari: cuius rei causas sæpe hactenus Aduersarijs nostris exposuimus. Paulus noluit discipulos suos à se denominari, aut à Petro, sed à Christo solo, qui pro ipsis crucifixus sit, & in quem baptizati sint, Christianos nuncupari voluit. Hoc uno nomine nos quoq; cõtenti sumus, & nos Christianos esse dicimus, nõ Zuinglianos aut Lutheranos. Quòd si Zuinglius, aut alius quispiam ecclesiæ doctor, quicquam ex verbo Dei docuit, nos non pudet

Non sumus Zuinglianistæ aut Lutherani, sed Christiani.

eorum dogmatum, atque ideò quia ex verbo Dei desumpta sunt, non quia Zuingliana aut Lutherana sunt, ea probamus.

Nomen Zuinglij suspectum & odiosum factum.

Cæterùm Aduersarij nostri, iam à multis annis, falsis calumnijs & cõuicijs Zuinglij nomen apud plerosque suspectum & exosum reddiderunt, ita vt si quid dicatur Zuinglianum esse, nulla vberiori probatione opus sit, quin totum hoc ipso nomine quòd Zuinglianum dicatur, absq; vlla alia probabili causa horrendum & abominandum esse censeant: sicuti olim ab initio Christianæ religionis idonea mortis causa erat Christianum nominari, & maiorum memoria Hussitam vocari. Zuinglianorum enim nomine significari volunt hæreticum, seductorem, perplexum hominem, seditiosum, & nullius precij, & quicquid horrendum, turpe & abominabile est. Dum autem hac ratione Aduersarij exosum faciunt Zuinglij nomen, id obtinuere, vt nemo deinceps Zuinglij doctrinam audire aut videre voluerit, atq; hoc modo doctrina ipsorum nullis fundamentis subnixa locum habere potuit, nostra verò inaudita reiecta & oppressa est, quam multo plures secuti fuissent, si illam audire aut legere potuissent. Ideoq; etiam effecere vt omnibus lectione librorum Zuinglij interdiceretur. Attamen Zuinglius in omni vita grauis & honestus fuit, neq; talis, qualem Aduersarij ignaris & imperitis hominibus fuisse persuadent. Natus est in Heluetia,

Ortus Zuinglij.

uetia, in comitatu Toggenburgio, vico qui Domus siluestris nomen habet, parentibus honestis & ex antiqua familia, anno Domini 1487. pie educatus, bonas artes à pueritia amauit & didicit, ac singularem diligentiæ & doctrinæ laudem adeptus est. Præceptores nactus est celebres, & inter alios clarum virum Thomam Vuittenbachium Bielensem, Theologiæ doctorem, qui circa annum Domini 1505. Basileæ & Tubingæ indulgentias Papisticas impugnauit, & publicè in academia disputauit, fideles tantùm morte atque merito Domini nostri Iesu Christi adipisci remissionē siue indulgentiam peccatorum & vitam æternam. Dedit autem operam literis in celeberrimis academijs Vienensi, Tubingensi, & Basiliensi, in qua etiam magna cum laude magisterij gradum assumpsit: neq; illi difficile fuisset doctoratus gradum adipisci, nisi malùisset eniti vt ecclesiam doceret, qui est verus doctoratus à Deo institutus, quàm externam pompam titulos & gradus affectare. Itaq; mox anno 1506. publicè concionari cœpit, magna cum auditorum admiratione. Carebat eo tempore pastore Claronensis ecclesia, (est autem Claronacelebris pagus Heluetici fœderis) ab illis igitur legitimè vocatus & electus, ecclesiæ illi magna cum laude præfuit ad annum vsque Domini 1517. Vocatus deinde ad Eremitanam ecclesiam regendam, huc se contulit potissimùm ob frequentiam

Zuinglij studia & præceptores.

Zuinglius magister & cõcionator.

Zuinglius pastor Claronensis.

Idem pastor Eremitanus

hominum, qui tum magno numero ex varijs nationibus & locis religionis ergò ad Eremitanum templum confluebant: sperabat enim concliones suas peregrinis hominibus fructum nō paruum allaturas esse, atque hoc modo Euangelij prædicationem longè lateque per orbem propagari posse. Nam iam ante apud Claronenses cœperat Euangelium purè prædicare, priusquam Lutherus in publicum prodiret, aut nominis illius vlla mentio fieret. Cum Claronæ doceret, Epistolas D. Pauli, propria manu Græcè, qua lingua à Paulo scriptæ sunt, descripsit, additis scholijs ex patribus, Chrysostomo, Hieronymo, & alijs: liber hic adhuc extat, & meæ narrationi testimonium præbet.

Zuinglius pastor Tigurinæ Ecclesiæ.

Anno deinde 1518. cum parochia summi templi in vrbe Tigurina vacaret, virtutis & doctrinæ gratia illuc à Præposito & collegio illius ecclesiæ euocatus est. Atque mox Calendis Ianuarij anni sequentis 1519. publicè concionari incœpit, & primùm Euangelium, deinde Acta Apostolorum, atque Apostolicas epistolas exposuit. Ab initio enim nō nisi Euangelistarum & Apostolorum scripta pro concione interpretatus est, postea demum prophetas quoq; publicè exponere cœpit: neque particulatim, sed ordine integra scripta. Primis verò annis non tantùm contra Romanas indulgentias, verùm etiam contra alios quoq; abusus qui in eccle-

siam

siam irrepserunt, concionatus est. Interea etiam simul occasione data, Hugonem Landenbergium Constantiensem Episcopum loci ordinarium, item Pontificios legatos, Matthæum Sedunensem Episcopum & Rom. ecclesiæ Cardinalem, item Ennium Verulanum, & Antonium Puccium Pistoriensem Episcopum, sollicitauit, & supplex ab illis petijt, vt pro officij sui ratione rebus Ecclesiæ consulere velint. Nam non posse negari multos esse in ecclesia abusus, à quibus meritò miser populus liberandus sit, & illi prædicandum purum verbum Dei: adhæc debere primates Ecclesiæ Christiano more, & aliter quam hactenus fecerint, vitam instituere. Simul etiam protestabatur, si nolint rem aggredi, tum se adiuuante Deo seriò & vehementer concionaturum de Christiana reformatione instituenda: ac se certò nosse diuinum auxilium non defuturum. Postquam verò ab eis nihil impetrare potuit, quamuis amicè illi responderent, & abusus confiterentur & deplorarent, concionando strenuè pergebat, & demonstrabat, necessarium esse vt reformatio aliqua iuxta verbum Dei instituatur. Quoniam verò hi qui ex officio reformare debebant, nihil faciant, hortabatur vt singulæ ecclesiæ de ea cogitarent, & commodè iuxta morem veteris & Apostolicæ Ecclesiæ eandem inuocato nomine Dei instituerent.

Quid Zuinglius ab episcopis petierit.

Zuinglius hortatur ad reformationem.

Zuinglius contra Romanas indulgentias pugnat.

Quemadmodum verò in Saxonia Luther se oppoſuit Detzelio impudenti indulgentiarum nundinatori, ita etiam Zuinglius ante illum, ſicuti ſcripſimus, indulgentijs & alijs Romanis abuſibus ſe oppoſuit. Cæterùm eodem tempore in Heluetia aduerſarium habuit Bernhardinum Samſonem, Franciſcani ordinis monachum, qui Roma indulgentias ad nos aduexerat, & eaſdem in Heluetia, ſicut Detzelius in Saxonia, prædicabat & vænundabat. Huic ſe oppoſuit Zuinglius, & eum expulit. Habuit autem graues aduerſarios Tiguri ſacerdotes & monachos, & præcipuè Lectores monachorum Mendicãtium: ideoq; aliquot colloquia habita ſunt in ædibus præpoſiti, præſente Magiſtratu.

Zuinglius diſputat.

Tandem verò ad indagandam veritatem, & tollenda diſſidia atq; rixas, publica diſputatio inſtituta eſt ab ampliſſimo ſenatu Tigurinæ vrbis: ad hanc euocarunt ordinarium epiſcopum Conſtantienſem & eius doctores, atque alios quoſcunq; vocare & exorare poterant. Conuenere igitur Tigurum complures viri docti, & frequens fuit conuentus cùm eccleſiaſticorum tum aliorum auditorum: in hoc omnibus facta eſt libera loquendi facultas, & Zuinglius eorãm eo doctrinæ ſuæ rationem expoſuit: hanc articulis 67. comprehenderat, & in publicum ediderat, petens vt ſi alicubi erraret, ex ſacris literis aliter edoceretur.

Solum verbum Dei prædicandũ

Quoniam verò in hoc colloquio Zuinglius id po-

id potissimum demonstrauerat, scripturam sacram vnicam esse normam & regulam, iuxta quam solam omnia salutis nostræ & Christianæ ecclesiæ negotia dirigere oporteat, neque quisquam ex tam magno doctorum numero hanc eius sententiam confutare potuerat, commotus ea re amplissimus senatus vrbis Tigurinæ, decretũ promulgauit, ne quisquam in ipsorum ecclesijs aliud doceat aut cõcionetur quàm sacras literas vtriusque Testamenti.

Altera disputatio publica Tiguri habetur.

Eodem anno vehemens certamen exortum est inter doctos pariter & plebeios, de imaginibus quæ in templis habebantur, & missa, num hæc tollenda sint & abolenda: quæ aliqui retinere & tueri conabantur. Quare sub finẽ Octobris alia disputatio instituta est, ac rogati sunt episcopi Constantiensis, Curiensis, & Basiliensis, vt ad hanc disputationem veniant, & viros doctos è scholis suis huc mittant. Euocati sunt etiam alij Prælati & Ecclesiastici ordinis homines, quos Tigurini vocare poterant: atque ad diem constitutum disputationis circiter sexcenti homines conuenerunt.

Imagines & missa Tiguri abrogantur.

Diu hic & multum disputatum est, neque ostendi potuit imagines & missam aliquod in sacris literis fundamentum habere: itaq; mandatum est ministris, vt populum è verbo Dei diligenter edoceant quid de imaginibus & missa sentiendum sit. Plebe autem ita edocta, ex omnibus templis vrbis & agri Tigurini, hæc

legitime & absque tumultu sublata & abolita sunt: atque horum loco institutæ sunt quotidianæ sacræ conciones, & cœna Domini nostri Iesu Christi: decretum quoque factum est, hanc reformationem Dei auxilio seruandam esse, nisi quis aliud è verbo Dei edoceat. Simul quoque sublatus est inutilis ille & à scriptura alienus templorum cantus: Deinde vetus collegium summi templi iuxta primam institutionem in scholam mutatum est, in qua bonæ artes & præsertim tres linguæ Hebraica, Græca & Latina traduntur, & loco septem horarum canonicarum sacræ literæ in tribus linguis præleguntur. Ac propterea honesto stipendio aluntur pij & eruditi homines, qui in pietate & bonis literis & præsertim sacra scriptura instituant adolescentes aliquot iusto numero, qui populo possint prædicare verbum Dei, & ecclesiæ in administratione sacramentorum & aliis pijs officijs inseruire. Simili modo Cœnobia & præbendæ, vt vocant, post obitum eorum qui hæc ante reformationem in beneficium acceperant, in pios & Christianos vsus translata sunt, & bona horum pars attributa est publicæ domui Hospitali alendis pauperibus. Multos verò labores & molestias Zuinglius in docendo sustinuit, dum vitia quæ tum publicè grassabantur, scortationem, adulteria, incestus, crapulam, ebrietatem, aleam, militiam mercenariam, munerum corruptelam, vsuram, & similia, ac præsertim

Schola.

Cœnobiorum reformatio.

præsertim execrationes, blasphemias, deierationes, superbiam, immoderatum luxum vestium, &c. oppugnat, & modestam Christianamq; vitam instituit & defendit. Senatus quoq; in hūc finem multa laudabiliter instituit, & populo publicè edixit. Inde verò invidia odium & inimicitiæ aduersus Zuinglium multū auctæ sunt, sed ille cuncta hæc patienter ferens Deo cōmittebat, & cōstanter in opere Domini pergebat. Porrò grauiorum laborum causa eidem fuere Anabaptistæ, atq; seditiosi homines in rustico-rum tumultu. Nam cum Thomas Muncerus seditiosorū dux, ex Saxonia & Turingia in Lacobrogorum seu Cletgouiorum pagum Grieſſam veniſſet, & initia Rustici tumultus, quemadmodum & in Turingia & Saxonia fecerat, iecisset, mox ad eum cateruatim Anabaptismi auctores ex his regionibus conuolarunt, quos vbi ille confirmasset, confidenter admodum se Zuinglio postea opposuere. Verùm ipse fortiter illis restitit, ac aliquot colloquia cum Anabaptistis publicè corā ecclesia habuit, eorumq; pessimum errorē solidè conuicit. Adeoq; firma argumenta ex verbo Dei protulit, vt multi viri docti in diuersis regionibus, Zuinglij doctrina plurimū adiuti fuerint: quamuis enim hoc plerique dissimulent, facilè tamen id ex scriptis eorum animaduerti potest. Adhæc aduersus seditiones & homines seditiosos magna vehementia docuit & scripsit.

Anabaptistæ & rustici corum tumultus. 1524. 1525.

Zuinglij magni labores.

Porrò inter tot varias molestasque occupationes nihilominus semper peregrinis, quorum multi quotidie ad eum consulendi gratia veniebant, itemque ciuibus humaniter & benignè respondit: literas quoq; plurimas in varia loca, Germaniæ, Galliæ & Italiæ scripsit, ac vicissim multas aliunde accepit. Præterea quotidie in schola sacra Biblia interpretabatur: primum enim pio doctoq; & claro viro D. Conrado Pellicano, Hebræum contextũ interpretante, Zuinglius postea Græcum contextũ LXX. interpretũ recitabat et explicabat: nihilominus etiã ordinarias suas conciones constitutis horis habebat: & postremò multa scripta interea per typographos in publicum edebat, quæ omnia magno & incredibili labore perficiuntur. Atq; hoc modo omne tempus suum diu noctuque in seruitio Domini & ecclesiæ negotijs insumebat, prompta quidem voluntate et magno cum fructu.

Disputatio Badensis.

Non minus laboris & molestiæ Zuinglio exhibuerunt alia quædam publica colloquia. Etenim cum anno Domini 1526. publica disputatio Badæ in Ergouia instituta fuisset, certis de causis adductus scripto ratio eam reddidit, ob quas causas Badam venire noluerit: nihilominus verò publicè editis scriptis aduersariorum suorum obiectiones confutauit. Postea anno 1528. alia disputatio in vrbe Bernensi instituta est, & publica fide cautum his qui illuc

Bernensis disputatio.

venirent,

venirent, ac statutum vt tantum ex sacra scripturæ disputaretur. Quapropter Zuinglius quoque illuc profectus publicè disputauit, & doctrinã suam, quæ quidem vera & recta erat, defendit & asseruit, idque testantur Acta huius disputationis in publicum edita. Quòd si Zuinglius doctrinam suam non probasset & confirmasset sacris literis, sed talis fuisset qualem Aduersarij fingunt & calumniantur, proculdubio grauissimus & amplissimus senatus, & præterea populus quoque Tigurinus honestatis & iustitiæ studiosus, nunquam ipsum vel horam vnam toleraſſent atque defendissent. Anno deinde sequenti 1529. Illustrissimus princeps Philippus Hassiæ Landgrauius, ambos Zuingliũ & Lutherum Marpurgum Hessorum euocauit, vt mutuò inter se colloquerentur, si fortè per Dei gratiam de articulis religionis inter ipsos conuenire posset. Profectus est illuc Zuinglius longo & periculoso itinere. Factum est autem Dei gratia, postquam vtrinque doctrinam suam clarius explicassent, vt inter se de omnibus dogmatibus Christianæ religionis consentirent, excepto modo & forma præsentiæ Christi in sacra cœna: attamen sic inter eos conuenit, vt vtraq; pars Christianam charitatem erga alteram exerceret, quatenus vniuscuiusq; conscientia pateretur. Edita sunt publicè capita huius colloquij subscripta vtriusque partis nominibus, quæ testimonium sufficiens sanæ doctri

Colloquiũ Marpurgense.

Zuinglius suam doctrinam non reuocauit.

næ vtrique parti perhibent. Falsum igitur est quod quidam sparguns Zuinglium & Oecolampadium Marpurgi pristinam suam doctrinam reuocasse, nam ex eorũ scriptis & concionibus demonstrari potest, eos antea quoque in eandem sententiam quæ articulis Marpurgensibus continetur docuisse. Inane itaque figmentum est ipsos à Luthero edoctos priorem suam doctrinam reuocasse, imò eam ipsam illic apertè & constanter confessi sunt. Quod verò Lutherus alicubi quædam in hanc sententiam iactare videtur, sane aliter fecit quàm ipsum decuerit, cui etiam alibi abunde responsum est. Quòd si conuenta Marpurgi facta Lutherus seruasset, & qui eum secuti sunt magis studissent modestiæ, concordiæ, charitati, fidei & humanitati, & sibi cauissent ab arrogantia & fastu, rixis & contentionibus non necessarijs, neque tam acerbè & planè iuxta affectus suos scripsissent, melius actum fuisset cum ecclesia: ita nanque veritas magis fuisset propagata, minusque vulneratæ & offensæ fuissent infirmiorum conscientiæ. Vtinam adhuc Deus donet nobis intelligentiam & concordiam.

Summa eõcionũ Zuinglij & eius obitus.

In summa Zuinglius toto tempore ministerij sui diligenter in Ecclesia Christi laborauit, ac piè prædicauit pœnitẽtiam, siue emendationem & mutationem vitæ peccatis deditæ in piam & Christianam vitam, & præcipuè remissio-

nem peccatorum per ſolam veram fidem in nomen Ieſu Chriſti. Atq; in hac doctrina conſtanter ad obitum vſque perſeuerauit. Anno autem Domini 1531. die 11. Octobris circa horam quintam pomeridianam Capellæ in prælio cum multis honeſtis & fidelibus viris occubuit, & in confeſsione Chriſtianæ fidei mortuus eſt.

Zuinglium non peccaſſe ſequod cum ſuis ad bellum abijt.

Qui verò Zuinglio ignominiæ loco obijciunt, quòd in prelio cum ſuis occubuerit, ignorant aut non expendunt quænam antiquitus fuerit conſuetudo populi Dei. Nempe quòd ſacerdotes ſiue eccleſiæ miniſtri cum populo ad bellum prodibant, vt milites ad preces excitarent, docerent, conſolarentur, & corroborarent: ſicut Deus ipſe expreſſè & ſeriò præcepit Deuteronom. 20. capite. Iuxta hunc morem & inſtitutum excellens propheta & miniſter Dei Heliſeus fuit in exercitu trium regum Iſraelis Iudæ & Idumæorum, ac toti exercitui conſuluit magnoque vſui fuit, ſicuti 4. Reg. 3. ſcribitur. Eodem modo poſtea Chriſtiani Imperatores Conſtantinus, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, alijque pij Reges, principes, ac populi, veram religionem & cultum Dei in ſuis caſtris exercuerunt, neque religionis exercitio & eccleſiæ miniſtris in bello caruerunt. Chriſtianam hanc eterem atque laudabilem conſuetudinem, Heluetij ſemper retinuerunt, atque adhuc hodie ſeruant, & ſuos Sacerdotes vel Eccleſiarum Miniſtros

Heliſeus in caſtris fuit.

Heluetiorum mos.

secum ad bellum educunt. Sic veteres historiæ referunt Bernensis ecclesiæ parochum, tanquã verum pastorem, cum suis ouibus ad bellum
1339 Iunij 20. exijsse, ac memorabili prælio ad Laupam interfuisse & milites confirmasse. Similiter Zuinglius cum adhuc Claronensium pastor esset, bis cum illis veteri laudatoque Heluetiorum more in militiam profectus est Mediolanum, & duobus prælijs, quibus non alia magis memoratu digna ab Heluerijs cõmissa sunt, ad Nouariam
1512. 1515. & Marignanum, magna sua cum laude interfuit. Ideoque etiam postmodum pium honestissimumq; populum Tigurinum in periculo deserere noluit, sed libens cum illis mortis discrimini se exposuit: quo nomine ab omnibus honestis & aliquo iudicio præditis hominibus laude potius quàm reprehensione dignus æstimatur.

Quonam hæc narratio tendat.

Cuncta hæc verè & breuiter asserendæ veritatis causa commemorare volui, vt harum rerum ignari, & qui Zuinglium longè alium quàm qualis reuera fuit animo conceperunt, certam de illo narrationem habeant, si modò alteram partem audire voluerint: & præcipuè Aduersarij nostri, qui furiosis suis clamoribus Zuingliano nomine, quasi id sit horrenda quædam abominatio, veram & sanam doctrinam, ac fideles homines, simul quoque innumeras Christianas ecclesias calumniantur, & contra omnem æquitatem condemnant. Alioquin

negari

negari non potest, post Zuinglij obitum (sicut antea Zuinglius dum in viuis esset anno 1527. Andreæ Osiandro aduersus ipsum insanienti in quadam epistola prædixerat) passim longè lateque innumeras ecclesias, in Germania, Italia, Gallia, Anglia, Scotia, Polonia, Hungaria, & in alijs regionibus ac populis, recepisse eandem doctrinam & fidem quam Zuinglius docuit, & libris in publicum editis propagauit, quoniam cognouerunt & experti sunt, Zuinglij doctrinam ex Deo & sacris scripturis consentaneam esse. Oportebat igitur bonos illos viros, qui nihil aliud norunt nisi conuiciari instar rixosæ mulierculæ, melius rem secum expendere, & saltem meminisse atque fidem tribuere his sacræ scripturę sententijs. Prouerb. 12. Est qui temere profert (homo futilis) veluti confossiones gladij. At lingua sapientum sanitas est, vel medicina. Abominatio Domini sunt labia mendacia: qui autem student veritati, placent ei. In ore stulti est baculus superbiæ, labia autem sapientum conseruant eos. Vade à facie hominis stulti, in cuius labijs non cognouisti scientiam.

Zuinglij doctrinam plurimi receperunt.

Ioan. 4.
Actor. 17.

Secundò valdè miramur nostros Aduersarios ita odio & inuidia excæcatos esse, vt non pudeat eos publicè de nobis affirmare, nos verbis Christi, Accipite, edite, hoc est corpus meum, &c. non habere fidem eaque negare. Nam fatemur verba hęc, Accipite, edite, hoc est

Non negamus uerba institutionis cœnæ Domini.

corpus meum, &c. esse verissima Christi seruatoris nostri verba, quibus Ecclesiæ suæ sacram cœnam instituit, & vsque ad finem mundi obseruandam tradidit. Fidem quoq; habemus verbis Christi, quomodo scilicet dicta sunt à Christo, ac sicuti scripturæ solent de sacramentis loqui, & quemadmodũ sancta Christiana Ecclesia illa ab initio intellexit & interpretata est.

Cum Zuinglio idem quoq; obiectum fuisset, quòd non rectè sentiret de his verbis Christi, ipse coràm principibus Germaniæ in comitijs Augustanis anno 1530. epistola publicata se hoc modo defendit. Cum nullis mortalium nobis est disidium de verbis Cœnæ, quasi velimus illa immutata esse, vt quidã, aut prorsus sublata, vt alij calumniantur. Cum enim sic sonant, Hoc est corpus meum, iam ipsum sacramentum augustius est quàm si dicemus, Hoc significat corpus meum, vt omnino nihil velimus mutatum esse. Sublata verò è medio quomodo cupiemus, quæ ne mutata quidam volumus? Atque plura in hanc sententiã in epistola hac quæ publicè extat leguntur.

Corpus Christi non esse corporaliter præsens in sacramento.

Tertiò ex sequentibus eorum verbis facilè animaduertimus, cur dicant à nobis negari verba Christi, Hoc est corpus meum: Propterea scilicet quòd dicimus corpus & sanguinem Christi non esse præsentia in sacramento corporaliter, naturaliter, substantialiter aut essentialiter. Quibus respondemus, primùm non hoc dici verbis

verbis Domini, neq; hunc eorum sensum esse, quòd verum eius corpus in sacramento corporaliter præsens sit. Nam si retinemus & sequimur verba Christi, necessario ex his conficitur, Dominum in prima cœna, quæ longè omnium sanctissima & perfectissima fuit, & ad finem vsq; mundi erit, corporaliter cum discipulis suis mensæ assedisse, atque hoc ipso suo vero corpore panem discipulis porrexisse, ac propterea, vt omnes manifestè cernunt, non fuisse corporaliter in pane aut sacramento. Alia enim fuit substantia corporis ipsius, & alia substantia panis, atque hæ sunt duæ substantiæ distinctæ. Præterea Dominus non habuit duo corpora, sed vnum duntaxat verum humanum corpus: non autem vnum quod panem porrigeret, & alterum quod in aut sub pane & sacramento esset. Neque ea est ratio veritatis & proprietatis humani corporis Christi, vt verum corpus simul mensæ assederit et interim nihilominus in pane quoque præsens fuerit. Quare verbis Christi nihil aliud traditur, quam Christum vero corpore suo mensæ assedisse, atque eodem suo corpore vero panem aut sacramentum porrexisse, ac panem hunc rectè sacramentali more corpus suum nominasse, ac dixisse, hoc est corpus meum. Etsi autem Aduersarij nostri contra horribiliter insaniunt & conuitiantur, nunquam tamen quicquam aliud in æternum ex verbis Christi probabunt.

Corporaliter & substantialiter esse additum nec.

Præterea multa verbis Christi Aduersarij de suo addunt, veluti corporaliter, naturaliter, substantialiter, essentialiter: neque enim Dominus sic locutus est, aut quicquã tale in verbis Christi inuenitur. Vbi quæso scripta sunt ea quę ipsi adducunt, & pro fundamento totius controuersię habent? Dicant apertè quidnam Christus seruator noster hisce verbis, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, instituere voluerit? Si verum dicere, & liberè profiteri velint doctrinam veterem simplicẽ & catholicam seu Christianam, quam vniuersa ecclesia Christiana ab Apostolorum vsque temporibus veram agnouit & recepit, fatebuntur Christum Dominum his verbis, Accipite, edite, &c. sacramentum siue signum, (vt Christiana ecclesia & scripturæ nominant, Gene. 17. Rom. 4.) instituisse & ordinasse. Quòd si hoc verum est, neque enim aliter esse potest, dicant quæso nobis qui nam propius accedant ad verba Christi, & sensum sanctæ Christianæ ecclesiæ retineant? Vel quo in re nos quos Zuinglianos vocatis, qui tamen nihil aliud sentimus quàm quod semper sensit vetus illa sancta & vera Christi ecclesia, dicant inquam quare peccemus dicentes, cum Christus seruator nobis hoc loco sacramentum instituerit & ordinarit, verba institutionis huius sacramentaliter intelligenda, & sacramentaliter etiam à nobis explicanda esse?

Quid Christus instituerit.

August. de doctrina Christiana.

Sacramentum & Sacramentale.

Sacramentale autem vocamus quod accipi-

tur

tur pro more sacramentorum, seu vt scriptura vocat, signorum. Natura autem sacramentorum hæc est, vt in his duo cõsiderentur, signum & res signata: velut in Cœna Domini, signa sunt panis & vinum; res signatæ, corpus Christi pro nobis traditum & sanguis eius effusus. Amborum autem hæc est natura & ratio, vt neutrum in alterum conuertatur, sed vtrunque suam substantiam seruet, nihilominus tamen signa accipiunt nomina rerum signatarum, panis enim corpus & vinum sanguis Christi nominatur, cum tamen naturaliter non sint quod nominantur, sed certæ & vera signa, quæ nos de rebus verè peractis, de passione Christi & nostra redemptione admonent, & de his testantur. Sicut etiam à Domino dictum est, Hoc facite ad mei commemorationem. Neq; nos primi, sed vetustissimi doctores Christianæ ecclesiæ, verba Christi, Hoc est corpus meum, sacramentaliter interpretati sunt, Hoc significat, aut est signum vel figura corporis mei: vt sæpe alibi à nobis ostensum est. Paulus præterea dicit signa hæc esse sigilla siue obsignationes iustitiæ fidei Rom. 4.

Postremò verba à vobis addita corpora liter, naturaliter, &c. non conueniunt naturæ sacramentorum, nihilominus tamen cunctis hæc verba obtruditis, & postulatis vt confiteantur & credant, corpus Christi in sacramento non tantùm sacramentaliter, sed corporaliter quoq; Negant quod prius dixere.

& naturaliter præsens esse, &c. Magnum verò hoc vestro dogmate in ecclesia tumultum excitatis, & tamē vos ipsi id non creditis, mox enim dictis his verbis in eodem vestigio quo dixistis eadem negatis, ac dicitis, Panem seu sub pane esse corpus Christi corporaliter, naturaliter, substantialiter, sed non carnaliter, neq; iuxta naturam corporum, aut visibili modo. Negari autē non potest hanc esse proprietatem humani corporis, vt carnem & ossa habeat (quemadmodū Dominus in Euangelio ait) & visibile sit palpabile atq; sensibile. Quod igitur aliter se habet, nō est corporeum. Ideoq; corpus Christi iuxta vestros sermones & interpretationes nō adest in sacramento corporaliter. Neq; verò hoc vnquā negare poteritis. Sed hic deprehensi & conclusi, postquam coràm vniuerso mundo vestrū istud corporaliter vos pudore confundit, alio confugitis ac dicitis, totum hoc negotium esse mysterium, cuius modus & ratio sit ineffabilis. Verum si ita res habet, cur ipsi conamini effari quod ineffabile est? Etenim dicētes corpus Christi in sacramento corporaliter esse, verbo Corporaliter modum ac rationē præsentiæ enuntiatis. Quod enim corporale est, est vtiq; corporale, & vt dicitur atq; explicatur, corporale esse intelligitur. Quapropter cum sic vestram opinionem tueri & tuto consistere non possitis, aliud latibulū quæritis, ac dicitis, Hæc non esse indaganda, sed simpliciter credenda. Verùm vbi aliquid

Luce. 24.

Ineffabile.

Credere oportet.

quid credendum eſt, oportet vt clarum Dei verbum habeamus, velut in verbis cœnæ Domini habemus expreſſum Dei verbum, Dominum corpus ſuum pro nobis tradidiſſe, & ſanguinẽ ſuum pro abluendis peccatis noſtris effudiſſe: hoc igitur omnino credere oportet. Sed non tenemur vt credamus, panem ipſum, aut in, ſub, cum pane eſſe corpus Chriſti. Nihil enim aliud verbis Domini dicitur quàm quod ſupra indicauimus.

Hæc atque plura alia firmiſsima argumenta & teſtimonia, ſæpe antehac in ſcriptis noſtris publice vobis propoſuimus, atq; ideò nunc breuiores ſumus, verùm vos parũ ad propoſitum & formã reſpondiſtis, multa interim extra propoſitum garrientes, noſtram piam ſententiam, peruertere, nosq; conuitijs obruere non ceſſaſtis. Deus largiatur vobis vt hæc agnoſcatis: nam eo modo quo cœpiſtis, veſtrã ſententiam animo conceptam nunquam in æternum probabitis: ſed potius complures viros bonos veſtra garrulitate & logomachia dubios & perplexos facietis.

Cœna Domini & præſentia Domini.

Porrô non dicimus cœnã Domini abſq; Domino eſſe. Semper enim diximus, abſq; ipſo Domino nõ poſſe nominari & eſſe cœnã Domini. Interea non dicimus ipſum corporaliter aut carnaliter in aut cum pane in Cœna præſentẽ eſſe. Deus enim in eccleſia præſens eſt, ſiue eccleſiæ credentiũ adeſt, quæ iuxta inſtitutum & ordi-

nationem Dominicæ cœnam legitimè celebrat. Huic nequam ecclesiæ adest gratia sua, spiritus sui, & efficaci operatione, quemadmodū semper institutionis suæ, & sanctis sacramentis præsentis adfuit, neque ua alijs, imo nobis se adfuturum ad finem usq; mundi promisit. Dominus enim est sol iustitiæ & salutis, qui plenè, prout nobis necesse fuerit, nobis illucescit, nos què clementer conseruat, imò nobis præstat quæcunque promisit.

Corpus Christi spiritualiter edi.

Quod verò quartum locum attinet, nempe docere nos corpus & sanguinē Christi tantùm spiritualiter edi, neque corporaliter aut carnaliter, neque corporeo à fidelibus & infidelibus percipi; huius rationem semper simpliciter tradidimus, si modò nos audire voluissent. Sed vt breuiter repetamus, denuò dicimus nos ore atque corde credere & confiteri, carnem & sanguinem Christi seruatoris nostri, nobis ab ipso Domino tradita esse in cibum & potum, vt illa verè edamus & bibamus, sed spiritualiter, non carnaliter aut corporaliter.

Ioan. 6.

Corpus Christi fide edimus.

Spiritualis verò manducatio fit per fidem, quia Christum recipimus. Quando enim credimus Christi carnem & sanguinem pro nobis in mortē tradita esse, vt nos his à perpetua morte redemptī æternùm viuamus, tum fide hæc carō & sanguis Christi fiunt noster cibus & potus, quibus sustentamur ad vitam æternam, sicut corporeus cibus sumptus, vitam huius

corpo-

corporis conseruat. Non quòd caro & sanguis Christi spiritus fiant, & ita sint noster cibus & potus, sed quòd verum corpus & sanguinem Christi, quæ suam substantiam immutabilem retinent, & verè in cruce pro nobis oblata sunt, nos spiritualiter manducemus, hoc est vera fide recipiamus. Vera enim fides est proprium os animæ. Quòd autem fide Christum dominum manducemus, ex ipsius domini verbis didicimus. Nam Ioan. 6. dixit, Qui me manducauerit viuet. Et rursus, Qui in me credit, viuet. Item. Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam. Didicimus autem ex Paulo fide ad Deum accedi, Hebr. 11. Atq; cum hic Domino dicendum fuisset, Qui biberit me non sitiet vnquam, dicit, Qui in me credit, atque ita pro bibendi verbo credere posuit. Quare edere & bibere, hoc loco est credere. Cur verò Aduersarij nostri hactenus contenderunt, & quidem bene ac rectè, nos sola fide in Christum crucifixum verum Deum & hominem, neq; vlla alia re in cœlo aut terra iustificari, & saluari, si idem nunc efficitur corporali manducatione carnis Christi? an fides non amplius sufficit? Diligenter quæso fratres cogitate, & diligenter expendite quidnam faciatis.

Quod præterea dicimus corpus Christi non edi, & sanguinem eius non bibi corporaliter aut carnaliter, hoc quoque ex verbis Domini Ioannis 6. didicimus. Cum enim Capernaitæ

Caro Christi non editur corporaliter.

dicerent, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? atque exiſtimarent corpus ſiue carnem & ſanguinem Chriſti, corporaliter & naturaliter, quemadmodum corporeos cibos ſumere ſolemus, edi & bibi oportere: Ibi explicat ſeipſum Dominus in fine concionis, & oſtendit carnalem manducationem, quam ipſi intelligebant, nihil prodeſſe ad ſalutem, ſed ſpiritualem: ac docet verba ſua ſpiritualiter intelligenda eſſe, & ſe recipi, aceo modo carnem & ſanguinem ſuum edi & bibi ad vitam æternam.

Diſcipuli Chriſtum in prima cœna non ederunt corporaliter.

Denuò autem hic nobis, vt Paulus docet prima Corinthiorum vndecimo, redeundum eſt ad primam inſtitutionem Cœnæ Domini, & conſiderandum quomodo diſcipuli Chriſtum in prima cœna manducarint. Etenim certum eſt nos in noſtra cœna, quæ non alia eſt à prima, non poſſe aut debere aliter Dominum manducare, quàm quomodo ipſum diſcipuli in prima cœna manducarunt. Aſſedit autem Dominus menſæ vnà cum diſcipulis, & panem accepit, ac illis porrexit, dicens: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Hæc verò verba non poterant ipſi de vllo alio intelligere quàm de humano corpore Chriſti vero proprio & vnico, quod vnà cum ipſis menſæ aſſidebat, & ipſi coràm intuebantur. Nam vt ſupra quoque diximus, Chriſtus non

duo

duo corpora habuit ſed vnum duntaxat. Corpus autem hoc quod cum ipſis menſæ aſſedit, diſcipulos non ediſſe corporaliter omnibus notiſsimum eſt: poſtera enim die eodem corpore Chriſtus cruci affixus & mortuus eſt, atque hoc ipſo nobis coràm Deo vitam impetrauit. Quare omnino neceſſe eſt aliam eſſe rationem comedendi corporis Chriſti in ſacra cœna quàm hanc corpoream, cùm diſcipuli in prima cœna ipſum corporaliter non comederint. Non reſtat autem alia ratio comedendi corporis Chriſti, quàm ſpiritualis & ſacramentalis: ſicuti paulò poſt oſtendemus.

Infideles non ſumere Chriſti corpus corporaliter.

Ex his intelligitur infideles corpus quidem Chriſti manducare ſacramentaliter, verùm neque ſpiritualiter, neque corporeo ore, vel vt nunc portentoſo vocabulo nominant, Oraliter. Carent enim ore animæ, fide inquam, qua ſola corpus Chriſti ad ſalutem manducatur. Neque etiam alias corpus Chriſti oraliter ſiue ore corporeo manducatur: non enim eſt cibus corporeus, qui aliorum ciborum inſtar in ventrem deſcendat, ſed eſt ſpiritualis cibus ad vitam æternam. Neq; etiam Paulus dicit indignos ſiue infideles corpus Chriſti edere, ſed panẽ Domini, quẽ ſumentes rei fiunt per incredulitatem. Cæterùm quod nonnulli falſam ſuã doctrinam, quaſi lacerã veſtem conſuere, & hoc cauillo tegere conantur, infideles edere ipſos quoq;

in ſacramento verum corpus Chriſti, ſed ſibi ipſis in iudicium, aperte ab ipſo Domino arguitur & confutatur, qui diſerte dixit, quicunque carnē ſuam ederit victurum: Eccleſia item Chriſti teſtatur, Chriſtum manducari aut percipi ſemper ad vitam, à nemine autem ad mortem. Item D. Auguſtinus ſcribit, Iudam non ipſum Dominum, ſed panem Domini ſibi ipſi in iudicium à Domino accepiſſe. Legatur Auguſtinus in Ioannem Tract. 26. Multa alia huius generis teſtimonia alias à nobis ex Patribus adducta ſunt.

Quòd ſi Aduerſarij noſtri aduerſus ſimplicem hanc certamq; veritatē diu multumq; certare perrexerint, & abſurda alia ſubinde alia accumulauerint vt pertinaciter conceptā opinionem tueantur, & præterea etiam contra nos vociferentur & execrentur non aliter atq; aurige ſolent curru in voragine ac lamis hærente, ſaluam tamen nobis veritatem relinquere, & ſuas merces carnales atque corporales reponere cogentur.

Nos non docere nuda ſigna in cœna.

Verùm vbi quinto loco nobis obijcitur quod doceamus in cœna Domini tantum eſſe vacua ſigna, ac propterea in cœna Domini ſolummodo ſigna panem & vinum dari atq; accipi, in eo nobis iniuriam faciunt, & veram noſtram doctrinam peruertunt. Veruntamen, ſi intelligunt corpus & ſanguinem Chriſti in pane & vino cœnæ Dominicæ corporaliter tam

quam

quam in vase quodam inclusa esse, et hoc modo volunt signa plena & non vacua esse, ingenuè fatemur nos non ita sentire. Non tamé propterea arbitramur panem domini & vinum in sacra cœna inania & vacua signa esse. Confitemur enim quòd hæc in sacrum vsum adhibita, non sint communia signa, sed sacramentalia & Domini signa à Deo ipso instituta, atque ab ipso Christo consecrata & sanctificata. Quare nostra cœna quam iuxta institutum Christi hodie celebramus, adhuc est Domini cœna ab initio sanctificata, itaque qui hanc vera fide sumunt, diuinę gratiæ omniumq; donorum Dei quę nobis promisit participes fiunt. Quomodo igitur hæc possunt esse inania & vacua signa?

In cœna Domini vō tantum signa percipimus

Quemadmodum verò sæpe antehac scripsimus & cōfessi sumus, eodem modo nunc quoque fatemur & dicimus, fideles pariter & infideles in cœna Domini, externo ore suo sumere panem Domini & potum, quæ ipse nominauit suum corpus & sanguinem. Fideles autem qui ante communionem cum Christo habent, & Christum in cordibus suis secum ad cœnam Domini afferunt, exercent & renouant hanc communionem, ideoque non tantùm externè edunt panem Domini, & eius potum bibunt, sed etiam internè per veram fidem, verum corpus & sanguinem Christi, eo modo & ratione vt supra exposuimus, spiritualiter edunt & bibunt. Sic nempe, vt verum corpus Christi sit in

cœlis, non inferius in his terris, neque dentibus manducantium quemadmodum ipsum sacramentum aut signum atteratur & consumatur, sed vt illud per fidem recipiatur ad vitam æternam. Virtus enim fidei per spiritum sanctum in fidelibus efficax est, vt ipsi per Christum & in Christo viuant, & Christus quoque viuat in ipsis. Atque sic non habemus vacuam & inanem cœnam, neque duntaxat signa panis & vini porrigimus & accipimus. Veruntamen quemadmodum minister signum, ita Dominus solus dat fidelibus seipsum rem signatam. Speramus autem his contentos fore omnes, qui magis veritati paci & saluti quàm propriæ pertinaciæ & contentionibus student.

SECVNDVM CAPVT ACCVSATIONIS.

ZVingliani verba Domini Ioan. 6. ad explicandum negotium Cœnæ dominicæ adducũt, cum tamen huc non pertineant: alia enim est manducatio de qua Ioan. 6. agitur, & alia in cœna Domini. Adhæc dicunt carnem Christi non esse viuificam carnem, atque ita contemnunt & vilipendunt carnem Christi: ac spiritui cuncta tribuunt.

RESPON-

RESPONSIO.

VERVM est Christum Ioannis 6. loqui de spirituali manducatione corporis sui, et potu sanguinis sui, etiam extra cœnæ Dominicæ actionem siue administrationem. Cœna enim Domini postea à Christo instituta plus aliquid habet illa manducatione & potu Ioan. 6. nempe externã & sacramentalem manducationem panis dominici & poculi eius sumptionem, addita publica congregatione in vnum cœtum cum gratiarum actione & attestatione, ad commemorationem corporis traditi & sanguinis effusi, quę tamen manducatio à credentibus non fit absq; spirituali illa de qua Ioan. 6 agitur. Quare quod corpus & sanguinem Christi per se attinet, vna eademq; est manducatio Ioan. 6. & Matth. 26. Sicut enim Ioan. 6. Dominus ait, Panis quem ego dabo, caro mea est, quã ego dabo pro mundi vita: ita similiter Matt. 26. ait, Accipite edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Item hic est sanguis meus Noui testamenti, qui pro multis (siue pro multitudine seu cœtu) effunditur in remissionẽ peccatorum. Quemadmodũ verò Ioan. 6. caro & sanguis Christi corporaliter non editur & bibitur ad vitam, sic etiam Matth. 26. non editur & bibitur ad vitam corporaliter, sed spiritualiter et sacramentaliter. Vtroq; enim loco de vno eodẽ corpore & san-

Plura in cœna habentur quam Ioan. 6.

guine agitur, de quo Dominus ante institutionem cœnæ Ioan. 6. apertè testatus est, carnem suam corporaliter comesam, & sanguinem eodem modo potum nihil prodesse ad vitã. Quare proculdubio postea non instituit & tradidit ecclesiæ quod nihil prodesset, neque sibi ipsi contradixit, diuersum nunc faciendo.

Patres 6. cap. Ioan. ad Cœnam accommodant.

Pauci sunt ex veteribus Patribus qui non Christi verba Ioan. 6. in causa cœnæ Dominicæ explicanda adhibeant: quare si idem facimus, nihil aliud facimus quam quod in more & consuetudine fuit Christianæ ecclesiæ ab Apostolorum vsque temporibus. Inter alios verò orthodoxos Patres D. Augustinus scribit, solum beatum Ioannem Euangelistam nihil de cœna Domini scripsisse, neq; eandem instar aliorum trium descripsisse, propterea quod antea (Ioannis 6.) quod satis esset de ea exposuisset. Legantur eius scripta, De consonant. Euangelist. & Tractatus in Ioannem. Pluribus testimonijs non est opus, res enim ipsa meridiana luce clarior est: adeoq; miramur Aduersarios nostros hoc loco adeò indignari & contendere, & veritatem adeò manifestam impugnare.

Caro Christi est viuificа.

Qua verò ratione de nobis asserere audent Aduersarij, nos negare carnem Christi esse veré viuificam carnem? Cum tamen toto corde amplectamur & diserté prædicemus quæ Dominus ipse dixit & nos docuit, dicens: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem

filij

filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et quæ ſequuntur Ioan. 6. cap. De carne autem Chriſti & ſanguine, non loquimur neque ſentimus, tanquam de carne & ſanguine alterius hominis etiam ſancti, ſed vt de carne quam aſſumpſit Filius Dei in vnam inſeparabilem perſonam, quemadmodum ipſe declarat his verbis, Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Neque verò aliter locuti ſunt Chriſtiani doctores ab ipſa Apoſtolorum ætate per vniuerſum Chriſtianum orbem. Legat qui volet Cyrillum in Euang. Ioannis lib. 4. cap. 14. & lib. 11. cap. 21. & 21. & Ad Reginas, &c.

Ex his omnibus facilè intelligitur nobis ab Aduerſarijs noſtris atrocem iniuriam & manifeſtam vim fieri, qui nos criminantur quòd leuiter ſentiamus de carne Chriſti & eam contemnamus, ſpiritui cuncta tribuentes, &c. Nam vt modò diximus, credimus & confitemur filium Dei veram humanam naturam in & ex corpore beatæ virginis Mariæ ſibijpſi aſſumpſiſſe & vniuiſſe, ac verum Deum & hominem nos in cruce redemiſſe, ac ſecundum humanam naturam mortuum eſſe, atque hoc ſuũ corpus à mortuis reſuſcitatum euexiſſe in cœlos, & ad dextram Dei Patris conſediſſe, vbi non tantũ ab omnibus fidelibus verùm etiam ab omnibus angelis adoratur. An hoc eſt leuis

Non contemnimus carnẽ Chriſti aut vilipendimus.

ter ſentire de carne Chriſti, & Chriſti carnẽ con temnere? Condonet vobis Dominus temerariã veſtram & inconſideratam accuſationem.

De ſpiritu Chriſti.

Quæ verò de ſpiritu Chriſti dicimus, ita dicimus ſicut à Chriſto didicimus, & ipſe quoq; loquutus eſt. Plurimum certè miramur, quo tandem miſeri homines Aduerſarij noſtri ſuis rixis & cõtentionibus peruenturi ſint. Quum nondũ contentionibus his ſe dedidiſſent, & adhuc cum alijs pijs doctoribus rectè & ſimpliciter ſcriberent & docerent, confeſsi ſunt totum Noui teſtamenti negotium non eſſe carnem aut literam ſed ſpiritum, ac vim iuſtificandi homines non in litera ſed in ſpiritu conſiſtere. Auditum verbi Dei per ſpiritum viuum reddi in homine, Baptiſmum Chriſti non per ablutionem corpoream, ſed per ſpiritualem eius gratiam nos renouare mundare & regenerare: Quî igitur nũc aliter ſit? Quia enim nos vnà cũ alijs pijs doctoribus, de Cœna Domini, quę propriè Noui teſtamenti res eſt, docemus, præſentiam Chriſti in cœna, & manducationem veri corporis eius & ſanguinis, in eccleſia à fidelibus non corporaliter aut carnaliter ſed ſpiritualiter fieri, propter hanc ſententiam atrociter accuſamur, quaſi carnem Chriſti prorſus abijciamus & nihil faciamus (Cum tamen de carne Chriſti omnia credamus & confiteamur, quæ nos Nouum Teſtamentum credere & confiteri docet) & præterea vacua & inania ſigna habeamus: imò

1. Pet. 3.

imò omni gratia Dei vacui censemur, nisi simpliciter & absq; vlla exceptione cõfiteamur totum negotium cœnæ Dominicæ peragi carnaliter seu corporaliter. Num verò spiritus Christi inefficax & ad nihilum redactus est? Cogitate quæso, & rem melius vobiscum expendite, & diligentius legite quæ Christus seruator docuit. Ioan. 14. 15. 16. Hæc enim doctrina vos in viam reducet.

TERTIVM CAPVT ACCVSATIONIS.

Zuingliani lacerant vnicũ Christum, & ipsum in duos diuidunt. Dicunt enim Christũ in cœlos ascendisse, neque amplius hic inferius in terra corporaliter adesse: sed secundum diuinitatem in cœlo & in terra esse. Quare omnino duos faciunt Christos, vnum qui tantùm in cœlo non autem vbiq; & in terra etiam adest: alterum qui & in cœlo & in terra vbiq; præsens est.

RESPONSIO.

CONTVMELIOSA hæc & improba deprauatio doctrinæ nostræ, quòd Christum diuidamus, & ex vno duos Christos faciamus, hinc ex-

Cur nostrã doctrinam ita peruertant.

orta est. Maiores nostri & nos quoque docuimus, & adhuc constanter docemus, Dominum nostrum Iesum Christum ascendisse in cœlos, & in cœlis non autē in terris corporaliter præsentem esse, atq; inde extremo demum die venturum in nubibus cœli ad iudicandum viuos & mortuos: iuxta articulos veræ & orthodoxæ fidei nostræ. Hinc autem concluserunt, Christum nō infra in pane, aut cum & sub pane corporaliter præsentem esse. Neque tamen propterea Christum in vniuersum à nobis & à cœna sua absentem esse: sed ipsum adesse ecclesiæ suæ vsq; ad finem mundi spiritualiter & efficaciter, quemadmodum verbo suo promisit & patefecit. Adesse etiam ipsum verbo suo quod prædicatur, item sacramentis quæ in ecclesia percipiuntur, quemadmodum semper his adfuerit, Fideles deniq; ipsum presentem habere ac ipso frui (quemadmodum semper ecclesia sensit & communi consensu docuit) non carnaliter aut corporaliter, sed spiritualiter & efficaciter, quémadmodum ecclesiæ necessarium & ad salutem vtile est, vt supra docuimus. Hoc argumentum firmius est quàm vt illud aduersarij soluere potuerint, vel vnquam deinceps possint. Verùm cum debuissent retinere articulos veræ & orthodoxæ fidei, neque quicquam vlterius quærere & turbare ecclesiam, illi contra ad Sophisticen confugerunt, & inutiles, periculosas atq; offensione plenas disputationes inceperunt, & corpus

Christus adest ecclesiæ suæ.

Vnde oriæ sint disputationes inutiles.

pus Christi aggressi, conati sunt sua garrulitate & loquacibus figmentis cœlum simul atq; corpus Christi Vbiquarium facere, sic vt non tantum corpus Christi sit in omnibus locis, sed cœlum quoque ipsum vbique existat. Voluerunt autem hac ratione nostrum argumentum soluere. Ita nanq; disserebant: Etiamsi Christus in cœlos ascenderit, tamen corpus eius vbiq; esse, ideoq; etiam in pane: & quamuis in cœlis existat, cœlum tamen ipsum vbiq; esse, ideò Dominum corpore suo simul quoque in pane esse, quando in cœlo est. Atque hæc eorum vana est imò pernicioſa & plena erroris Sophistica, & deceptio. Quoniam verò huic assentiri nolumus, neq; probamus & recipimus ipsorum praua interpretationem diuinæ doctrinæ & veræ fidei, nos latrones proclamant, atq; falsò aiunt nos Christum diuidere, & ex vno duos Christos facere: quod tamen ex nostra doctrina nequaquam consequitur. Nisi fortè perplexi isti logodædali vnà nobiscum tam horrendi crimi nis vniuersam Christi ecclesiam ream facere voluerint, quòd scilicet Christum diuidat & duos Christos faciat. Nam ab Apostolorum vsque temporibus ecclesia Christiana nõ aliter quàm nos quoque hodie de corpore Christi docuit & credidit, nempe illud corporaliter esse in cœlo, & non vbique instar diuinitatis præsens esset multò minus verò agnouit & docuit cœlum Vbiquarium, &c.

Consensus ecclesiæ in doctrina de corpore Christi.

De una per sona & duabus naturis Christi.

Cæterùm vt paucis & perspicuè nostram innocentiam probemus contra calumniatores sanæ & Christianæ nostræ doctrinæ, & pios homines, qui Aduersariorum garrulitate sollicitati & perplexi facti sunt, doceamus & consolemur: Credimus & confitemur ore & corde, secundam sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis personã, vnum, æternumq; Dei Patris filium, in vtero sanctæ & semper virginis Mariæ, verum hominem siue humanam naturam, nobis miseris hominibus excepto peccato & vitiosa illa nostri corruptione per omnia similem, assumpsisse, & sibi ipsi vniuisse, ita vt cum assumpto veri hominis animo & corpore vna inseparabilis persona verus Deus & verus homo factus sit, ita vt vnus tantum Christus sit & non duo: Et vt in hac vnica persona vtraque natura diuinitas assumens & humanitas assumpta, suam essentiam seruent, ac vtraque suas proprietates integras & impermixtas retineat, sic vt Dominus noster Iesus Christus secundum diuinam naturam à patre genitus ab æterno, immortalis, omnipotens, omniscius & vbique præsens existat, neque tamen vllo loco concludatur aut circumscribatur: secundum humanam verò naturam temporis initium habuerit, natus ex Maria matre, mortalis, passioni & corruptioni obnoxius, certo loco circumscriptus neque omnipræsens: nihilominus tamen in eadem persona inseparabiliter

ter subsistit, neque in duos diuiditur: non magis quàm homò in duas personas siue homines diuiditur, cum dicitur hominem quoad animam immortalem esse, mortalem verò carnis seu corporis ratione. Sic enim recte quoque confitemur Christum mortalem fuisse secundum carnem, immortalem verò secundum spiritum & diuinam æternitatem. Neque propterea ex vno Christo duos facimus, vnum mortalem, alterum immortalem, nam vnus tantum Christus est mortalis & immortalis, & ita etiam vnus tantum Christus est omnipræsens, simul & non vbique præsens, omnipotens, & idem infirmitati obnoxius tempore humiliationis siue exinanitionis suæ.

Veridicus ille testis Christi Seruatoris in Euangelio suo inquit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, & hoc ipsum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verbum non ita caro factum esse dicitur à beato Ioanne, quòd Deus in hominem conuersus aut mutatus sit, vel quòd tantùm Deus & non amplius homo sit, sed quemadmodum D. Paulus explicat Philip. 2. & Hebr. 2. quòd æternus Dei filius verum hominem assumpserit. Vbi vtiq; quod assumit & quod assumitur non cõmutantur, aut in se inuicem permiscentur, sed hic est sensus, quòd vtrunq; suam essentiam & proprietatem seruet, Testimonia scripturæ. Ioan. 1

interim nihilominus in vna persona inseparabiliter subsistant, sic vt diuinitas humanitatem in sua persona sustentet. Etenim si mox ab initio assumptionis humanæ naturæ homo in Deum fuisset commutatus, quomodo Christus potuisset pati & mori? Deus enim sua natura impassibilis & immortalis est, homo verò secundum naturam passioni & morti obnoxius est. Manent itaque in vnione duarum naturarum in vnam personam inseparabilé, non tantùm ipsa nomina, et essentiæ, verùm etiam ipsæ proprietates, vt sunt mortale & immortale, vbique præsens esse, & non vbiq; præsens esse.

Proprietates naturarum immutabiles manent.

Huiusmodi autem proprietates vtriusq; naturæ postea non sunt commutatæ, neque in resurrectione à mortuis, neq; in ascensione in cœlos, aut sessione ad dexteram patris, exceptis illis quæ clarificatio sua natura & proprietate corpori Christi attulit. Hęc autem corpus Christi non deificat, neque illi membra atque formam & figuram humani corporis adimit, neq; è corpore spiritum facit, vt vbique præsens existat, & non in suo loco qui clarificato corpori conueniens sit. Hęc autem non sunt nostra somnia, non proferimus nostras imaginationes, sed loquimur iuxta verba sanctorũ angelorum & ipsius Seruatoris nostri. Nam post Christi resurrectionem angeli de Domino dixerunt, Surrexit, & non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Præcedet vos in Galilæam. Diligenter

Marc. 16.

hic

hic notanda ſunt verba Angelorum, Nō eſt hic, Ecce locus, Præcedet vos. Quin & Dominus à reſurrectione ſua diſcipulis ait, Spiritus carnem & oſſa nō habet, ſicut me videtis habere. Quomodo item ſe Thomæ exhibuerit, Ioan. 20. ſcribitur, Rurſus poſt aſcenſionem Domini Angeli dixerunt, Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quid poſſet de hoc negotio, quod ſcilicet in Chriſto ſaluæ maneāt proprietates humanæ naturæ, clarius & apertius dici? Cæterùm audire cupimus num inquieti illi & rixoſi Aduerſarij noſtri, etiam ſanctos Angelos accuſare velint, propterea quod dicunt, imò teſtantur Chriſtum Dominum in cœlos aſcendiſſe, & non amplius corporaliter hic inferius cum diſcipulis eſſe, neque etiam venturum donec ad iudicium veniat, nuſquam autem dicunt corpus eius quo in cœlos aſcendit vbique eſſe: num hos quoque accuſabunt quòd Chriſtum diuiſerint & ex vno duos fecerint? Act. 1.

Præterea quòd corpus Chriſti in cœlo ſeruet humanæ naturæ proprietates, alijs quoque pluribus locis ſcripturarum tam perfectè exprimitur & aſſeritur, vt nulla vlterius quæſtione, ſi nos edoceri pateremur, opus eſſet. Matth. 16. Dominus ait, Filius hominis, (Nota hæc de Filio hominis dici) veniet in gloria patris. Matt. 19. Quando Filius hominis ſedebit ſuper thronum maieſtatis ſuæ. Matth. 24. Tunc appare- Proprietates corporis Chriſti in cœlo manere plura teſtimonia.

bit ſignum Filij hominis in cœlo. Matth.24. Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua,& omnes angeli cum eo,Matt.26. Amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei,& venientem in nubibus cœli, Ioan.19.Zach.12.Apocal.1. Ecce veniet in nubibus, & videbunt eum omnes oculi, & hi qui eum transfixerunt. Ex his omnibus antiqui Patres rectè concluſerunt veram humanam naturam cum ſuis proprietatibus non eſſe abiectam à Chriſto in gloria exiſtente,ſed in æternum retineri. Ideò enim ipſum exiſtentem in cœlis,& in ſede gloriæ ſuæ,& venientem ad iudiciũ nominari Filium hominis. Apertè etiam ſcribi, omnium oculos eum viſuros, etiam horum qui ipſum confixerunt. Notum autem ac certum eſt,verum ipſius corpus in cruce transfixum eſſe, quod etiam in extremo die oſtenderet, itaque verè adhuc illud retinet & ſerua. Huc etiam peculiariter ſpectant illa quæ Paulus ſcribit Philip.3. & 1.Theſſ.4. illic enim diſertè docet fideles expectare deſcenſum Chriſti è cœlo (NOTA) qui corpus noſtrum humile transformabit, & ſimile faciet glorioſo ſuo corpori Hinc autem veteres denuò concludunt & nos cum illis, nos veris corporibus à mortuis reſurrecturos,& hęc noſtra corpora glorificanda eſſe:quia verò Paulus ſcribit Dominum nos conformes ſuo glorioſo corpori redditurum, neceſſariò ſequitur, Dominum verum ſuum

Corpora glorificata.

corpus

corpus cum suis proprietatibus forma & figura etiam in gloria seruasse & perpetuò seruare. Nisi fortè veram corporum nostrorum resurrectionem abnegare voluerimus, de qua Aduersarij nostri, ex mera sua pertinacia cœperunt non necessarias & inutiles imò perniciosas subtilitates & argutias ventilare. Itaut verũ omnino sit vetus dictum, Contendendo veritas amittitur. Præterea à Paulo additur, Dominum ipsum descensurum de cœlo, fideles autem qui à mortuis resuscitati sunt, & qui extremo die vixerunt, & transmutati sunt, Domino in nubibus obuiam rapiendos in aera, atq; Dominum hos secum abducturum. Obseruandum autem est in verbis Apostoli quod scribit dominũ descensurum de cœlo & in nubibus venturum: item fideles veris corporibus Domino obuiam venturos in aera, & in nubibus abripiendos esse: atque Dominum nos inde secum abducturum esse in æternã beatitudinem. Hæc testimonia tam firma sunt vt conuelli non possint, quę affirmant corpus Christi in cœlo & ipsa beatitudine suas proprietates retinere: nam ipse etiã sicut nostra corpora de loco in locum mouetur, ideoque non vbique præsens est, quamuis cum diuinitate vna persona inseparabiliter permaneat. Quòd si corpus eius vbiq; esset quemadmodum diuinitas, non opus haberet ascensu & descensu: nam iam antea supra & infra & per circuitum undique præsens esset. Verùm non

ita se habet, nisi falsum sit quod diuinis testimonijs comprobatur. Quærimus autem denuò ab Aduersarijs nostris, num beati angeli, & D Paulus qui ea quæ attulimus de corpore Christi testati sunt & docuerunt, propterea personam Christi lacerarint, & ex vno Christo duos fecerint, vnum qui solum in cœlo, alterum qui in cœlo & in terra & vbique præsens sit? Nemo vtique Christianus hoc asseuerabit. Quare nobis quoque nolite molesti esse, neque vestris calumnijs illa nobis attribuatis, quæ de sanctis angelis & Paulo non audetis dicere, cum nos non aliter quã ipsi loquamur & scribamus, &c.

Hæc & complura alia sacrarum literarum testimonia sæpe hactenus ipsis proposuimus & oculis subiecimus, ac doctrinæ nostræ rationem reddidimus, verùm his omnibus non plus effecimus, quàm vt nos immeritò contra omnem æquitatem, ac fortè etiam contra suam ipsorum conscientiam coràm vniuerso mundo tamquam omnium mortalium pessimos diffamarint & condemnarint.

Catholicus ecclesiæ consensus.

Obiecimus etiam illis catholicum consensum, de hac causa veteris & orthodoxę ecclesię, quæ tum purissima & sanctissima fuit. Attulimus autẽ de hac re testimonia veterum Patrum & martyrum, Iustini, Irenæi, Cypriani, ac vetustissimi doctoris Tertulliani, qui omnes vnanimiter eodem modo docent de Domino nostro Iesu Christo & eius corpore quemadmodum

& nos

& nos. Vixerunt autem iſti omnes ante vniuerſalia concilia.

Attulimus præterea Decreta ſiue ſymbola primorum veterum conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſis. Recenſuimus etiam hæreſes & hæreticos qui ſe veræ fidei & ſanæ doctrinæ oppoſuerunt, cum quibus nos nihil commune habemus, ſed per omnia ſymbolis ſiue confeſsionibus veterum Conciliorum conſentimus. Quoties verò conciliorum mentionem facimus, nõ citamus ea Papiſtarum more, qui etiam ſua quædam concilia contra nos iactant: ſed cõciliorum quæ modo nominauimus ideò mentionẽ facimus, quia ſuam doctrinam & fidei confeſsionem ex ſacris literis acceperunt, & eam fidem confeſsi ſunt, quæ ab Apoſtolorum ætate adipſus vſq; peruenit. Symbola 4 primorũ Conciliorũ

Poſtremò in hac controuerſia vetera Symbola Athanaſij, Damaſi, Hieronymi, & aliorũ Aduerſarijs noſtris oppoſuimus: atque his adiecimus confeſsionem fidei D. Auguſtini, quæ ipſius ætate in vniuerſa eccleſia Chriſtiana recepta & in vſu fuit: hæc autem ad verbum in profeſsione illa fidei ipſius leguntur. Et ſic venturus eſt illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum: idem in eadem carnis forma & ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique Symbola. Epiſtola ad Dardanum 57.

diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis verissima scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus: sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Atq; hæc sunt D. Augustini verba, quæ cum verę fidei apertam confessionem contineant, non pudet nos ea sæpe in nostris scriptis repetere.

Certamina cum Eutychianis.

Etsi autem his proculdubiò plerisque abundè satis fecimus, nihilominus tamen illa quoq; attulimus quæ post superiores illos alij pij & veteres doctores atque episcopi olim scripsere contra Eutychianos, quibus Aduersarij nostri nimis affines esse videntur. Ex horum patrum numero sunt Leo Romanus, Theodoretus in Oriente, & Fulgentius episcopus in Africa.

Quomodo vnus Christus sit in duabus naturis.

Reperam autem hic denuò quædam etiam B. Vigilij episcopi & martyris, qui sic scribit lib. 1. contra Eutychianos. Si ergo hæ tres personæ (sacrosanctæ Trinitatis) habentes singulæ proprietates suas, quibus significantius distinguantur non quibus separentur, vnus est Deus, quomodo Filius salua vtriusque naturæ

proprie-

proprietate, non vnus est Christus? Item lib. 4. Sicuti ergo vnus homo est, qui moritur ex vno, & non moritur ex altero, sic vnus est Christus, qui mortuus est ex carne, & non est mortuus ex Verbo.

Idem libro 4. veteris ecclesiæ doctrinam atque fidei confessionem de hoc dogmate, his verbis exponit. Apparet vnum eundemq; Christum vtriusq; esse naturæ, & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suę. Igitur vnus Dei filius, idemque hominis factus filius, circumscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturā diuinitatis suæ: mortuus est natura carnis suę, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt. Hæc Vigilius. Veterum fides & confessio. NOTA.

Quòd si aduersarij nostri vel vnicum aliquod huiusmodi clarum & euidens testimonium haberent, cuiusmodi nos plura adduximus & illis proposuimus, Deus bone, quantum quæso tum contra nos vociferarentur & furerent? Verùm quid hactenus ad nostra responderunt? Certè vt rem ipsam apertè fateamur, nihil prorsus ad obiecta responderunt, sed furiosorum modo contra nos exarserunt, nosq; maledictis obruerunt, ac hæreticos vocarunt, & apud eos quibus nostra doctrina incognita

est nos infamarunt, sic vt doctrinam nostram tanquam nouam & hæreticam audire noluerint, & lectione nostrorum librorum interdixerint, ac nos innocentes & inauditos pluribus in locis condemnarint. Cum tamen semper ab ipsis petierimus, vt ita se erga nos gerant sicuti nos erga ipsos. Libri enim eorum liberè apud nos venduntur, atque hos emere & legere licet, quod tamen ab ipsis nunquam obtinere potuimus. Hinc autem apparet quantum causæ suæ confidant. Nos equidem lucem nunquam fugimus, & denuò petimus ne responsio nostra iniquè supprimatur, sed patiantur eam in lucem venire. In summa damnamus Nestorianos & Eutychianos, Christum verò non diuidimus, neque naturas in illo permiscemus: sed prædicamus vnicum Christum verum Deum & hominem, in vniuersum eo modo quo semper in ecclesia Christiana ex verbo Dei prædicatus fuit: quemadmodum antehac sæpe & nunc quoq; abundè demonstrauimus.

Interdicunt lectione nostrorum librorum.

QVAR-

QVARTVM CAPVT ACCVSATIONIS.

Zvingliani negant Christo homini omnẽ potestatem in cœlo & in terra datam, ipsumq; esse omnipotentem. Neq; enim plus tribuunt Christo, aut magnificentius de eo sentiunt, quàm Machometus & Turcæ in ipsorum Alcorano, neque Turcis meliores sunt.

RESPONSIO.

CONTVMELIAM & crimẽ quod nobis proxima accusatio impingit, abundè quidem confutauimus, & docuimus nos Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum & hominem credere, confiteri, & prædicare, ideoque etiam profiteri ipsum esse æternum, omnipotentem, &c. ipsiusq; esse agnoscimus cũcta quę supra ex scripturis sacris de illo contestati sumus. Nihilominus tamẽ hac contumelia afficimur, propterea tantum quòd nolumus cum Aduersarijs duas naturas Christi inter se inuicem permiscere, hoc est docere quòd Christi corpus vbique sit sicut Deus: vt ita corporaliter in panem deriuari & quasi destillari possit, aut cum pane coniungi siue in eo includi. Verùm salua veritate diuina & nostra fide, nullo modo id facere possumus.

Discrimen inter unionem & exæquationem.

aut debemus. Quid enim notius est quàm ingens esse discrimen inter vnionem siue copulationem duarum naturarum in vnam personam inseparabilẽ, & inter exæquationẽ naturarum, vt vna sit sicut altera, siue nõ plus habeat quam altera? Vnio enim naturas coniunctas integras & impermixtas seruat, sic vt vna quoad substantiam non fit quod altera, neq; alterius proprietates habeat, nisi per communicationem idiomatum. Exæquatio autem naturarum, qua dicitur vna eodem modo se habere vt altera, siue vnam essentia id esse quod est altera, non tantùm est permixtio naturarum inter se inuicem, verùm hoc modo vnio distinctarum naturarum in vnam eandemq; personam soluitur & aboletur. Proprietates enim diuinæ naturæ sunt omnipotentem & vbique esse, &c. Quod si Christus homo secundum humanam naturam etiam omnipotens & vbique est, tum hæc eius natura est, atque ita verus homo in Deum mutatus est, neq; amplius manet verus homo, atq; hoc modo insolubile vinculũ vnionis personalis scinditur, ita vt Christus Dominus nõ amplius sit Deus & homo, sed iã tantùm Deus erit.

Non ignoramus Aduersarios nostros hoc loco exilire & clamare, Hic cerni posse quidem Zungliana doctrina consequatur: Christum in cœlis esse impotentem, atque nobis in his terris nihil prodesse, quoniam huc non veniat & nobis non sit præsens, cum non sit omnipræsens

sens & omnipotens. An non inquiunt hoc est Christum abnegare & euacuare?

Verùm ad ista respondemus, nos de Domino nostro Iesu Christo, in quo diligenter proprietates naturarum retinemus, non loqui tanquam de mero & infirmo atque impotenti homine, aut tanquã de aliquo sanctorum, in quo Deus ita sicut in alijs sanctis inhabitet. Nullo modo prorsus: neque enim sumus Nestoriani. Sed loquimur & docemus de Christo quidem vt vero homine, sed non propterea mero homine, sed vt de tali homine qui cum Deo in vnam personam inseparabiliter vnitus est, ac propterea verus & æternus Deus, & verus etiã atq; naturalis homo est. Quare etiamsi secundum humanam naturam non est omnipræsens & omnipotens, tamen idem vnicus & indiuisus Christus secundum diuinam naturam omnipotens & omnipræsens est: ita vt etsi non secundum vnam, tamẽ secundum alteram naturam præsens sit, atque etiam omnipotens, non autem impotens (vt crasse & cum magna offensione loquuntur) neque inutilis nobis in terris existat. Non enim prędicamus dimidium sed totum Christum, verum Deum & hominem, & vt à Paulo vocatur, Dei potentiam & sapientiam, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Atque hoc modo Christo Domino non aliqua tantum particulatim tribuimus, neque illi nomen tantum absque

Quomodo de Christo sentire & docere oporteat.

1. Cor. 1. Coloss. 2.

ſubſtantia & reipſa damus, ſed rem ipſam cum nomine. Simul etiam Aduerſarijs noſtris expendendum relinquimus, an non multo magis ipſi Chriſto homini tantùm nudum nomen relinquant, cum dicunt eum ſecundum illam quoque naturam omnipotentem & omnipræſentem eſſe? Ita nanque humanitas eius diuinitas facta eſſet, ita vt illi tantùm nudum hominis nomen relinquatur. Denuo quoque eos expendere iubemus integrum ne an dimidiatum Chriſtum prædicent, ſpoliantes Chriſtum homine ſuis proprietatibus, & alias illi attribuentes, quibus humanitatis propria abolentur?

An nihil altius de Chriſto ſentiamus quam Machometus.

Facilè verò ex his intelligi poteſt quàm iniuſtè nobis impingatur, quòd nihil magnificentius & altius de Chriſto ſentiamus quàm Machometus in ſuo Alcorano, atque nihilo Turcis meliores ſimus. Atque alicubi quidam polypragmon, homo garrulus & inquietus, Alcoranum Mahometicum magno faſtu in medium protulit, ſcilicet vt terrorem & admirationem ſimplicibus & imperitis hominibus incuteret, & ita commodius fabulam ſuam peragere poſſet, & rudibus perſuadere nos nihil altius de Chriſto ſentire quàm Machometus, & ad Turcas propendere. Verùm talia Deus à nobis in perpetuũ auertat, & certè nunquam tales erimus. Nam & nos quoque dudum Alcoranum vidimus & legimus, & deprehendimus librum eſſe abſque vllo ordine, indoctum, inep-

Alcoranus.

tum,

ptum, turpem, abominandum, blaſphemum, plenum deprauatione ſanctæ veritatis, plenum nugis, fabulis, ſomnijs, ſimul & rebus ſtultis, plenum denique mendacijs & impoſturis, vt mirum ſit vnquam inuentos eſſe homines ſana ratione præditos qui huic fidem haberent. Sed hic impletur dictum ſeruatoris noſtri Chriſti, qui ait: Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

Sed vt veniamus ad argumentum quo nos in ſuſpicionem vocant apud imperitos & ignaros homines, quaſi Turcicè de Chriſto ſentiamus, adducuntur ab illis verba Alcorani Azoara 4. vbi ſcribitur, Deum exaltaſſe Chriſtum Mariæ filium, & illi dediſſe animam ſuam, & virtutem præ omnibus alijs. Atq; hoc eſt egregium illud argumentum quo euincere volunt nos eſſe Turcas. Verùm vbinam vnquam diximus Chriſtum eſſe animam Dei? Vbi verò vnquam docuimus Chriſtum non aliter excellere, quàm hoc ſolo quòd illi plus alijs ſanctis datum ſit? An non potius ſemper diximus hanc eſſe Chriſti excellentiam, quòd ſit verus & æternus Dei filius: verus inquã Deus & homo? vbi nam quæſo Machometus hoc fatetur?

Quoniam verò iſtis hominibus libuit recenſere quid Machometus de Chriſto ſentiat, cur non illius ſententiam integram plenè recenſuerunt? Etenim ſi hoc feciſſent, facilè omnes vi-

Quid Machometus in Alcorano de Chriſto docuit.

dissent & audijssent nos longè aliter sentire, adeoque nobis atrocem iniuriam fieri. Quare constitui ego hic exponere quidnam abominandus ille & blasphemus Machometus in suo Alcorano de Christo scribat: adnotabo autem Azoaras siue capita vbi hæc reperiuntur, vt si quis fortè dubitet, aut ipsius Machometi verba audire malit, loca singula quærere possit. Primùm igitur negat & blasphemijs affitit sacrosanctam Trinitatem, idque quam plurimis locis. Deinde negat Iesum Christum Mariæ filiũ, esse Dei filium: ac dicit horrendum dictu esse Deum habere filium: imò Christum ait tantùm esse nuncium aut legatum Dei. Item Christum non esse pro nobis mortuum, sed quendam aliũ ipsius loco occisum esse. Multa quoque alia horrenda scribit quæ non necesse est vberius cõmemorare: nam vel in his nimium turpidinis & abominationis inest: ac horũ quoq; nullam mentionem fecissemus, nisi Aduersarij nos huc adegissent. Leguntur autem hæc quæ adduximus Azoara 11. 12. 19. 20. & 29. Cæterùm non necesse est plura de hac re verba facere. Nam sicuti collatione nostræ de Christo doctrinæ & Machometicæ, innocentia nostra facilè ab omnibus perspicitur, sic etiam facilè appareret ingens petulantia & inaudita impudentia eorum qui nos Turcis annumerant. Deus largiatur illis meliorem mentem.

Cæterùm vt totum hoc negotium & nostra

quoque

quoque innocentia rectius perſpiciatur: docemus cum omnibus Chriſtianis doctoribus ſicuti etiam ſacræ literæ tradunt, duplicem atque diſtinctum ſtatum eſſe Chriſti. Vnum ac primum humiliationis ſiue exinanitionis, cum in ſumma humilitate, afflictus & contemptus ab hoſtibus ſuis in his terris vixit. Pertinet autem hic ſtatus à natiuitate ipſius vſque ad crucem & gloriam. Verùm tamen in hoc quoque ſtatu, ſicut alibi quoque copioſe expoſuimus, peculiarem ſuam gloriam & maieſtatem habuit, ſicut Ioannis 1. & 2. cap. indicatur. Alter ſtatus eſt gloriæ ſeu exaltationis, qui à reſurrectione, aſcenſione in cœlos, & ſeſsione ad dextram Dei durat in æternum. De vtroque hoc ſtatu Paulus loquitur, Chriſtum ſeipſum humiliaſſe vſq; ad mortem crucis: ideoq́ue Deum ipſum exaltaſſe, & donaſſe illi nomen quod eſt ſupra omne nomen. Philip. 2.

Duplex ſtatus Chriſti.

Huic ergo fundamento innixi confitemur liberè, homini Chriſto exaltato, omnia, nulla re excepta quæ ad gloriam pertineat, plenè data eſſe. Veruntamen hoc modo, vt diſtinctæ in ipſo naturæ & proprietates non permiſceantur, aboleantur aut corrumpantur: & vt æterna illa vnio in vnam perſonam non diſſoluatur. Huc autem ſpectant multa teſtimonia, veluti cum Dominus ipſe teſtatur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Item quod Paulus ſcribit, Deus operatus eſt iuxta potentiam

Quænam ſint data nō mihi Chriſto.

Matth. 28. Ioan 3.

virtutis ſuæ in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo ſed etiam in futuro, &c. Epheſ. 1. cap.

Agnoſcimus & confitemur maieſtatem Chriſti.

Hæc atque ſimilia ſacrarum ſcripturarum teſtimonia ex animo confitemur, ac propterea non contradicimus maieſtati Chriſti, quemadmodum nos illi accuſant, qui argutias quaſdam de illa afferunt, & magnificè loquuntur, cum reipſa nihil aliud agant, quàm vt his coloribus & inuolucris ſuas imaginationes de vbiquitate corporis Chriſti tegant & ornent. Nomine enim arcanæ maieſtatis vniuerſo mundo Vbiquitatem ſuam obtrudere & perſuadere conantur. Quicunque igitur Vbiquitatem, quam ſolam ſpectant, non probant & celebrant, hi dicuntur eſſe hoſtes maieſtatis Chriſti, Ariani, & quicquid atrox & hoſtile confingi poteſt.

Verùm ô boni, quid ſi oſtendam veſtrum Doctorem Lutherum, has ſubtiles veſtras artes non pluris feciſſe quàm deificationem corporis Chriſti traditam à Schuencfeldio, cum quo pariter impuras aquas eadem vrna geſtatis? Recitabo vobis, ſi modò audire volueritis, quidnam de hac re Lutherus ſcripſerit in Poſtilla ſuper verba epiſtolæ ad Hebr. 1. cap. Verba eius hæc ſunt. Cum Chriſtus inquit de hora extremi iudicij filium hominis nó ſcire illam ſed ſolum

patrem:

patrem: non opus est hac glosa, Filius hominis nescit, id est non vult dicere. Quis vsus est huius glosæ? Humana Christi natura quemadmodum & alterius sancti hominis, non quouis tempore omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit, sicuti quidam omniporentem hominem ex ipso faciunt, naturas & earum opera imprudenter inter se permiscentes. Ac paulò post, Plenus fuit gratia & sapientia, atque omnia quæ ipsi proposita fuerunt dijudicare & docere potuit, quia diuinitas quæ sola omnia videt & nouit, personaliter ipsi vnita & præsens fuit. Denique omnia quæ de Christi humiliatione atque exaltatione dicta sunt, homini attribui debent: diuina enim natura neque humiliari neque exaltari potest. Hactenus Lutherus.

Lutheri iudicium de omni potentia hominis Christi.

Num verò hunc quoque ad Turcas abelegabitis? Sed proculdubio aliter statuetis.

QVINTVM CAPVT ACCVSATIONIS.

Zvingliani hominibus Christianis in tentationibus & afflictionibus summam consolationem quam ecclesia habet eripiunt, nempe corporalem Christi nobiscum præsentiam, qui tamen frater noster, secundum carnem, videt, nouit & audit nostras afflictiones & sollicitudines. Contra verò Zuinglieni dicunt, ipsum non audire neq; nosse res & sollicitudines nostras.

RESPONSIO.

An corporalis præsentia Christi sit summa consolatio afflictorum.

PRIMVM omnium considerabimus an corporalis Christi præsentia in terris, verè sit aut esse debeat summa nostra consolatio in omnibus tentationibus & afflictionibus, atque num hoc tradatur nobis in Euangelio, quod est lætum nuncium.

Christus igitur in Euangelio discipulis ait, Sed quia hęc (Nunc vado ad eum qui misit me) loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatē dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos, & docebit vos omnem veritatem. Item in eodem Euangelio aliquanto ante,

Ioan. 16.

Ioan. 14.

Et ego

Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum (NOTA) in æternum, Spiritum veritatis, &c. In his autem verbis Domini totum hoc negotiũ de vera consolatione in afflictionibus & tentationibus, ante oculos proponitur & optimè explicatur. Primùm enim discipuli Christi anxij & solliciti erant, & consolatione indigebant. Secundò consolationem hanc animo conceperant, se seruandos fore si Dominus corporaliter secũ maneret: ideoque propter corporalem discessum, qua præsentia eius corporea carere cogebantur, tristes erant. Tertiò huius erroris arguit Dominus discipulos, ac eos melius instituit, & consolatur dicens: Veritatem dico vobis (attendite fratres quæ nam sit vera sententia de optima consolatione) expedit vobis vt ego vadam. Quòd si hæc verba Christi sunt ipsa veritas, vt reuera sunt neque aliter esse possunt, nempe expedire atque vtilius esse, vt in cœlos ascendat, & non maneat corporaliter in terra, tum necesse est vestram sententiã falsam esse, nempe quòd corporalis præsentia Christi in terris sit summa consolatio afflictorum cordium. Neque verò opus est vt Zuingliani, sicut nos nominant, quenquam corporali præsentia spolient, cum Christus ipse terris excesserit, & se corporaliter discipulis subduxerit, simulq; testatus sit hoc illis vtilius esse magisq; expedire. Quarto causa indicatur à Christo quare expediat ipsum

corporaliter è terris excedere. Si non abiero, inquit, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Simul verò exponit spiritum hunc (nimirum patris & ipsus spiritum) esse spiritum veritatis, esse cõsolatorem, atque hunc consolatorem qui in æternum in ecclesia mansurus sit, etiamsi corpus suum non perpetuò maneat in hac ecclesia. Hoc autem consolatore ecclesiam fidelium cõtentam fore. Tam claris & perspicuis verbis Christi Domini nolumus alia & plura explicationis gratia addere, sed veram nostram doctrinam de optima consolatione fidelium in afflictionibus & tentationibus, his confirmatam volumus, ac simul ostendimus nos non eripere afflictis cordibus verã consolationem, etiamsi illam quam Aduersarij ex seipsis contra verbum Dei absq; vlla ratione confinxerunt, & hominibus persuadere conantur, non magni vel potius nihili facimus.

Augustin. tractat. in Ioannem.

Possemus etiam hoc loco veterum Patrum consimiles sententias adducere, & præsertim D. Augustini in Ioannem tract. 94. 106. & 111. sed hac de causa illa prætermittimus, tum quod hi qui Christi verbis fidem non habent, multo minus credent hominũ testimonijs, tum etiam vt prolixitatem operis euitemus.

Consensus Patrum in hac re.

Quòd si Aduersarij nostram doctrinam denuò conati fuerint peruertere, quasi de præsentia Christi ita sentiamus ac doceamus, quòd

eius

eius caro, siue incarnatio aut humana natura nihil ad consolationem & salutem profit, sed spiritus omnia efficiat: respondemus nos perspicuitatis gratia distinguere inter aduentum seu præsentiam veri hominis Christi filij Dei viuentis, qua à natiuitate sua vsq; ad ascensionem in cœlos verè in terris præsens fuit, & inter illam præsentiam quam nuper Aduersarij nostri in ecclesia confinxerunt, in & sub pane, quam dicunt corporalem esse, non tamen carnalem & visibilem, &c. Quòd si quis eos interroget num spiritualis sit? Negant, sed veram & corporalem esse aiunt, attamen ineffabilem. Huiusmodi præsentiam cum sit humanum figmentum, & nullum fundamentum in verbo Dei habeat, equidem aspernamur & nihili facimus. De altera verò & priore ita sentimus & docemus quemadmodum ex verbo Dei didicimus, & quemadmodum supra testati sumus in responsione nostra ad secundum caput accusationis. Addimus hoc quoque, humani generis redemptionem & salutem non potuisse perfici absque sancta carne Christi nata ex Maria virgine. Nam vt Paulus scribit, vbi testamentum est, mortem testatoris intercedere oportet, & absque effusione sanguinis nulla fit remissio. Ideoque filius Dei vt nos à peccatis redimeret, & vniuersa testamenti bona nobis adiudicaret, & perfectè saluos faceret, factus est perfectus homo anima & corpore, (vt verum suum sanc-

Quid sentiendum de præsentia corporis Christi in terra.

Hebr. 9.

guinem effundere & vere mori posset) quemadmodum etiam verus perfectus & immortalis Deus erat, vt ita fideles per ipsum adipiscerentur remissionē peccatorum & hæreditatem æternæ felicitatis. Postquam verò sic nostri gratia mortem pertulit, tertia die à mortuis resurrexit, & quia nihil præterea restabat quod salutis nostræ gratia in his terris perageret, plenam enim perfectamque salutem nobis omnibus impetrauit, ideò corpore suo in cœlum ascendit, & terram corporaliter reliquit, atque in cœlesti throno consedit. Hinc autem non nisi ad extremum iudicium corporaliter in hunc mundum venturus est, sicut docent articuli fidei nostræ. Hinc etiam quemadmodum pollicitus fuerat Spiritum sanctum misit, in quo ecclesiæ suæ adest vsque ad finem mundi, sicut alibi copiosè exposuimus.

Quomodo spiritus sanctus sit consolator ecclesiæ.

Ideoque Spiritus sanctus, sicut Christus in Euangelio docet, est verus consolator ecclesiæ, qui manet cum illa vsque in æternum, nontamen hoc modo quo fortè quisquam imaginari posset, quemque Aduersarij nobis impingere conantur, nempe vt absque Christo eiusq; merito in cordibus hominum operetur. Sed per prædicationem Euangelij efficaciter testatur in cordibus fidelium, nos Christi morte & passione, et gloriosa eius resurrectione à peccatis mundatos, liberatos à morte, & hæredes æternæ vitæ factos esse, & misericordem atq; fidelem mediatorem

diatorem in cœlis habere, in quo omnem plenitudinem habeamus, qui interea nihilominus nos in terris non deserat sed nobiscum sit vsque ad finem mundi. In hac fide fratres posita est vera consolatio, non in vestris imaginationibus quas vos ipsi excogitastis, quòd scilicet corpus Christi corporaliter & tamen non corporeo modo, in terris existat, & non spiritualiter sed oraliter, atqué supernaturaliter, & nescio quo modo edatur.

Obiecimus vobis antehac egregium & elegantem locum vetustissimi doctoris Tertulliani, è quo sicut & ex alijs testimonijs quæ produxeramus cognoscere debueratis, nos nõ adeò leuiter sed magnificè sicut oportet de Christi seruatoris nostri carne sentire: non pigebit autem nos denuò ipsa Tertulliani verba adscribere. In ipsa regia cœlorum adhuc sedet Iesus ad dexteram Patris, homo etsi Deus: Adam nouissimus etsi Sermo primarius, caro & sanguis, etsi nostris puriora, idem tamen & substantia & forma qua ascendit, talis etiam descensurus (vt angeli adfirmant) agnoscẽdus scilicet eis qui illum conuulnerauerũt. Hic sequester Dei atq; hominũ appellatus ex vtriusq; partis depositõ, cõmisso sibi, carnis quoq; depositũ seruat in semetipso, arrabonẽ summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonẽ spiritus reliquit, ita à nobis arrabonẽ carnis accepit, & vexit in cœlũ pignus totius sũmę illuc quandoq; redigen-

Corpus Christi ad dexteram Dei est certum pignus salutis nostræ.

De resurrect. carnis.

dæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis & cœlum & regnum Dei in Chriſto.

Ieſus Chriſtus frater noſter.

Secundo loco firmis teſtimonijs diuinæ veritatis permoti, confitemur, Chriſtum Dominum verum Deum & hominem fratrem noſtrum eſſe, idque ex ipſis Chriſti verbis qui Mariæ inquit, Abi dicito fratribus meis, Vado ad patrem meũ & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Sed hanc fraternitatem non efficit vnio corporis Chriſti cum pane, ſed inde eſt, quòd æternus viuentis Dei filius, verus homo ex noſtra carne & oſsibus, ſacrificium expiatorium pro nobis in cruce factus eſt. Sicut etiã Athanaſius ad Epicterũ teſtatur his verbis, Corpus ſeruatoris noſtri verũ corpus eſt, ſimile enim eſt noſtris corporibus. Maria enim ſoror noſtra fuit, quatenus oẽs ab Adamo ſumus, &c.

Ioan. 20.

Chriſtus in cœlis res noſtras nouit, videt, & audit.

Tertio loco Aduerſarij denuò intollerabili petulantia in nos inuehuntur, non enim pudet eos de nobis ſpargere quòd ſentiamus Chriſtũ in cœlo nos neſcire, neq; videre aut audire neceſsitates, curas, & dolores ſuorum, quos in præſenti tempore patiuntur. Cum tamen dicamus quemadmodum & ſcripturæ docent, Chriſtum ad ſe vocare omnes laborãtes & oneratos, cum certa conſolationis promiſsione, quòd leuaturus ſit eos onere, & requiẽm ipſis daturus. Rurſus etiam Dicit Dominus in Euangelio, Quicquid petieritis in nomine meo faciam, vt Pater honoretur in Filio. Atque vt nos magis confirmaret, denuo ait, & eodẽ loco ſecundo repetit,

Matth. 11.

Ioan. 14.

Si

Si quid petieritis in nomine meo faciam. Itaq; cum Stephanus in ſua afflictione & mortis doloribus ad Dominum Ieſum clamaret, Dominus in gloria ad dextram Patris ſe paratum eſſe adiuuandum oſtendit, vt haberemus æternum certiſsimumq; teſtimonium, quòd non tantùm neceſsitates & ſollicitudines ſuorum norit, videat & audiat, ſed paratus etiam ſit & efficax ad ipſos iuuandos. Act. 7.

Credimus igitur & docemus hæc atque alia his conſimilia, ſicuti etiam in Reſponſione ad ſecundum caput accuſationis oſtendimus, atq; prædicamus integrum non dimidiatum Chriſtum. Si ita doceremus, Omniſcium eſſe eſt proprietas diuinæ naturæ, ſicuti humanæ non omnia ſcire: & Chriſtus eſt tantùm homo ſicut cæteri homines, &c. tum prædicaremus tantùm dimidiatũ Chriſtum. Nunc verò dicimus Chriſtum non tantùm eſſe hominẽ ſed ſimul etiam verum Deum. Ideoq; dicimus etiamſi non omnia norit, ſecundum humanã naturam, nihilominus tamen vnum eundemq; Chriſtum ſecundum diuinam naturam omniſcium eſſe, ideoq; Chriſto in cœlis vero Deo & homini nihil abſconditum eſſe. Quoniã verò humana natura cum diuinitate in vnam perſonam inſeparabiliter vnita eſt, ſummam inde conſolationẽ percipimus, ſicuti etiam Paulus ſummã conſolationem hinc petijt ſcribens. Nõ habemus ſummũ Pontificẽ qui non poſsit compati noſtris infirmitatibus, &c. & quæ præterea ſequuntur Hebr. 2. & 4.

Integrum Chriſtum & non dimidiatum prædicamus.

Habemus ad dextram Dei miſericordem pontificem.

Quamobrem cum apertè absque dolo & sophistica aliqua sic doceamus, oportebat Aduersarios non ita temerè & petulanter homines insontes tam atroci contumelia & crimine grauare. Verùm adeant Lutherum doctorem suum, et hunc consulant quid de hoc negotio dicat: is enim in Postilla sua sic scribit, Dominica post natalem Domini. Confinxerunt quidam sibi articulum fidei, Christũ à primo momento conceptionis suæ plenũ fuisse sapientia & spiritu, adeò vt non plus capere posset, nescientes quid aut de qua re loquantur. Abijciant igitur huiusmodi articulos fidei qui sunt mera ipsorũ somnia, & humana stultitia, ac verba Lucę simpliciſsimè intelligant de humana Christi natura. Etsi enim omni tempore plenus fuit spiritu & gratia, nõ tamẽ semper impulsus fuit à spiritu: sic Lucas inquit ipsum corroboratũ fuisse spiritu. Atq; hęc Lutherus, & plura alia in hanc sententiam scribit.

Lutheri sententia de omniscientia humanitatis Christi.

Quamobrẽ amici tandẽ quiescite. Neq; enim hi sumus quos fingitis, & quales vestra improba et petulanti loquacitate efficere vultis: vobis enim quiescentibus, ecclesia, & præsertim qui in illa sunt simplices homines non turbabuntur. Mementote quæso grauissimorum verborum Pauli Apostoli, quæ de ecclesia & his qui in illa non necessarias quæstiones excitant, scribit. Qui aũt conturbat vos, inquit, portabit iudicium, quicunque est ille. Vtinam abscindantur qui vos conturbant.

Adhortatio vt quiescãt.

SEXTVM

SEXTVM CAPVT ACCVSATIONIS.

NEmo vnquam præter Zuinglianos ex aſcenſione Chriſti in cœlum, concluſit Chriſtum non eſſe corporaliter in ſacramento, neque corporaliter manducari. Peruertunt autem doctrinam de aſcenſione Chriſti, atq; etiam de cœlo ipſo. Dicunt enim cœlum eſſe certum locum, deſtinatum Chriſto & electis eius. In hoc cœlo Chriſtum quaſi captiuum detineri, quippe qui nuſquam alibi eſſe poſſit vſque ad extremum iudicium. Item in hoc cœlo corpora fidelium corporeo more habitatura eſſe. Atq; ita fingunt Machometicum ſiue Turcicum cœlum.

RESPONSIO.

AD primam partem huius accuſationis breuiter ita reſpondemus, & dicimus, nos non parum admirari hanc accuſationem, cum manifeſtè & irrefragabiliter conſtet ex 6. capite Ioannis, Chriſtum ipſum aſcenſione ſua refutaſſe opinionem de corporali manducatione corporis ſui. Cum enim Capernaitæ concionem Domini intellexiſſent de corporali manducatione carnis ſuæ, reſpondit illis ac dixit, ſe in cœlos aſcenſurum, eſſe, vnde facilè intelligere poſſent,

Aſcenſione Chriſti in cœlos tollitur corporalis eius carnis illius.

quôd corporaliter in terris nô comedendus sit sed spiritualiter. Neque verò nos soli aut primi verba Christi hoc modo interpretamur, sed principui doctores Christianæ ecclesiæ eadem ante nos similiter interpretati sunt, nempe beatus Athanasius, & D. Augustinus: ille quidem in oratione super verba Domini, Qui dixerit verbum contra Filium, &c. hic verò tractatu 27. in Ioannem. Athanasij verba hæc sunt. Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritualem alimoniam, & ab ipso donandam intelligerent. Idem ante hæc verba scribit, Dominum loqui de cibo qui vniuersum mundum satiare posset, sed corpus corporaliter non sufficisse toti mundo, imò vix paucos homines satiare potuisse si illud comedissent. D. autê Augustin. Hinc soluit, inquit, illud vnde fuerunt scandalizati, Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum, ille autem dixit, se ascensurum in cœlum, vtique integrum. His speramus innocentiam nostram satis asseruam esse, ac nos neque nouam neque falsam sed veterem & orthodoxam doctrinam ecclesiæ proponere.

Non peruertimus ascensionê Christi.

Secunda verò parte huius accusationis non minus iniuria nobis fit quàm priore. Neque enim ascensionê Christi domini peruertimus, sed de illa ita sentimus & docemus quemadmodum

dum ſonant articuli fidei noſtræ, & Euangelica atque Apoſtolica doctrina traditur. Nempe Chriſtum Dominum poſtquam à mortuis reſurrexerat, die 40. corpore & animo verè & integre, à terris ſurſum in cœlos aſcendiſſe, & reliquiſſe hunc mundum, ita vt non amplius corporaliter hic reperiatur. Sic namq; ſcriptura loquitur de aſcenſione Chriſti Marc. 16. Luc. 24. Acto. 1. Quoniam verò cum Aduerſarijs confiteri nolumus, Chriſtum aſcendiſſe quidem in cœlos, nihilominus tamen infra in terris eſſe, & manere corporaliter ſub & cum pane, eo modo quo expoſuimus, ab illis calumnijs & conuitijs petimur. At prudentius feciſſent Aduerſarij noſtri, ſi articulum hunc conſolatione plenum de aſcenſione Chriſti in cœlos, integrum & inuiolatum reliquiſſent, neque hunc in controuerſiam & propterea etiam apud ſimplices homines in dubium vocaſſent.

Tertio loco ſicut doctrinam de aſcenſione Chriſti non peruertimus: ita etiam veram veterem q; eccleſiæ doctrinam de cœlo nuſquã mutauimus. Atque verè affirmamus, hanc doctrinã de cœlo ſicuti ſcripturæ, & antiquiſsimi patres ab Apoſtolorum vſque temporibus, tradunt, ac vera Chriſti eccleſia docuit & credidit, eandem nos quoq; retinere, & docere integram & inuiolatam & nuſquam immutatam. Atque in Defenſionibus noſtris id multifariam & euidenter oſtendimus, ita vt hæc omnibus nota

Doctrina de cœlo.

esse potuerint, nisi Aduersarij lectione nostrorum librorum interdixissent.

Cœlum esse certũ locum

Quarta parte accusationis indicant vbinam ipsorum iudicio in doctrina de cœlo peccemus, nempe quia dicimus cœlum esse certum locum Christo & electis eius destinatum & præparatum. Ac verè quidem hæc dicimus, neque nos huius sententiæ pudet: didicimus enim illam ex verbis seruatoris nostri Iesu Christi, qui omnium optimè nouit, quid, quale, & vbi sit cœlum, hic autem cœlum beatorum expressè locum nominat. Ioannis enim 14. inquit, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Et si abiero & præparauero vobis locũ, iterum venio & accipio vos ad meipsum, vt VBI sum ego & vos sitis. Ex his æternæ veritatis verbis itaque cœlo edocti sumus, esse Christi & fidelium certum locum & habitationem, vt iam constanter in hac sententia perseueremus scientes illam esse verissimã. Cæterùm in alijs nostris scriptis plura argumenta attulimus, ad quæ nunquam sufficientem & idoneam responsionẽ accepimus.

Moribundis magna consolatio eripitur.

Quòd si cœlum beatorum sedes non est certus locus, quam consolationem habebunt illi qui ex hac vita exeunt, ac iuxta vestram sententiam incerti sunt quo perueniant, quandoquidem nullus certus locus paratus est in quem suscipi possint? Multo iustius hoc loco nos in Aduersarios inuehi & detonare possemus, qui ipsi immeritò contra nos fulminarunt, ac dicere ipsos

reipſos magnam conſolationem morituris & iam animã agentibus eripere, eosq; turbare vt neſciant quo abeant, quoniam cœlum ipſis nõ eſt locus. Cogitate quæſo amici quo tandẽ vos abripiat veſtra pertinax contendendi libido. Ceſſate tandẽ quęſo per Deum, & abijcite mira bilia illa veſtra figmẽta: plus ſatis enim ſimplex fidei negotium iamdudum perturbaſtis.

Quinto loco rurſus expendite quo vos perducant abſurdi illi & inconſiderati veſtri ſermones. Si Chriſtus in cœlo captiuus detinetur, oportet omnino cœlum carcerem eſſe. Ergo ne fideles ex hoc mundo & ex miſera captiuitate carnis huius emigrantes, ſperantesq; ſe meliorem locum inuenturos, rurſus in alium carcerem deueniunt? Conſiderate quæſo quomodo veſtræ res ſe habeant. Infernus quidem verè eſt & nominatur carcer, cœlum autem eſt locus liberrimus recreationis atque gaudij & lætitiæ. Quare cum dicimus Chriſtum vnà cum electis ſuis in cœlo habitare, non conijcimus in carcerem, & captiuum facimus Dominum cum electis ſuis, ſed in ſumma gloria & maieſtate collocamus. Dolet autem nobis ex animo, quòd veſtra pertinacia vos in hæc abſurda conijciatis.

Chriſtus nõ eſt captiuus in cœlo.

Quod verò tam cõſtanter dicimus & prædicamus Chriſtum Dominũ oportere cœlo capi, aut cœlum poſsidere, donec redeat ad iudicandum viuos & mortuos, id didicimus primum

Oportet Chriſtum cœlum poſſidere uſque ad extremũ iudicium.

ex articulis fidei noſtræ. Ita nanq; confitemur, Inde (norandum quod dicimus inde, nempe ex cœlis in quos aſcendit) venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos. Deinde idē nos docuere verba D. Petri, qui in Actis Apoſtolorū ait, Ieſum Chriſtum oportet cœlum ſuſcipere (capi aut poſsidere τὸν οὐρανὸν δέχεσθαι) vſq; in tempora reſtitutionis omnium quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Cęterùm ſemper oſtendimus vocem, Oportet, eo modo accipiendam eſſe quo alibi accipitur, & Dominus ipſe ait, An non oportuit Dominum hæc pati & ita intrare in gloriam? Vbi verbum Oportet nullam vim & coactionem ſignificat, ſed certam & immutabilē ordinationem Dei, quam ita & non aliter ſe habere oportuit, cui Chriſtus voluntariè acquieuit, & illi, ſicut fieri oportuit & debuit, obtemperauit. Neque enim alioqui Chriſtus cogitur, vt neceſſariò in cœli aliquo loco ipſum ſedere aut ſtare oporteat, ſed meritò ac iure illi liberum eſt in cœlo agere vbi & quomodocunq; voluerit. Verùm de hac re alibi in noſtris Defenſionibus copioſius ſcripſimus, & clarè oſtendimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ſecundum humanam naturam in cœlo eſt, quoniam idem etiam verus eſt Deus, cœlum & terram implet, & vbique fidelibus ſuis adeſſe, &c.

Act. 5.

Luc. 24.

Quomodo corpora poſtra in cœlis habitatura ſint.

Porrò quod attinet corpora fidelium, ſeu parte huius accuſationis de his fit mentio, & ac-

cuſamus

cusamur quòd dicamus illa corporali modo in cœlis habitatura. Nos igitur ore simul atq; corde confitemur articulum fidei nostræ de resurrectione corporis siue carnis, atq; credimus omnes fideles illo corpore atq; anima quæ in præsenti vita habuerunt, vitam æternã possessuros esse. Verùm hęc nostra corpora extrema die clarificabuntur, non quidem vt in spiritũ commutentur, sed purgabuntur ab omni corruptione, & prorsus clara & gloriosa fient, liberabunur etiã omni anxietate & corporea necessitate, & in summa omnibus molestijs, sicut Paulus docet 1. Cor. 15. Quare iuxta naturam & modum corporum, sed clarificatorum non autem morti obnoxiorum, vera nostra caro vnà cum anima cœlum possidebit, eo modo omnino quem ipse cõtra Sadducęos disputans Luc. 20. nos docuit. Per omnia verò de hac re ita sentimus quemadmodũ diuinæ literæ testantur, & veteres sancti Patres (inter quos & Hieronymus ad Pammachium contra Ioannẽ Hierosolymitanum) consimiliter summo cõsensu scripserunt. Monemus autem Aduersarios vt rem bene expendant, nẽ suis contentionibus & rixis tandem huc perueniant, vt vnà cum Origenianis talia corpora post resurrectionẽ fingant, quæ per chalybem, ferrum, petras & omnia penetrent, & nihil minus sint quàm vera humana corpora.

Corpora glorificabuntur.

Extrema parte huius accusationis inquieti isti & garruli homines, subinde nos contra nostram voluntatem Machumetanos & Turcas

Non habemus cœlum Machumetis, [illegible] cœlum.

facere conantur: atq; longè aliter se gerũt quàm tales homines deceat. Si enim ignorant quæ Machumetus in suo Alcorano de paradiso scribit, & nihilominus aiunt nos Machumetanũ cœlũ fingere, nimium certè temerarij sunt. Si verò norunt quidnam sentiat, & tamen nihilominus dicunt nostrã doctrinam de cœlo Machumetanã esse, contra suam ipsorũ conscientiam loquuntur, & manifestã nobis iniuriã faciunt, & ad id mendacijs vtuntur. Machumetus enim & qui illi auxilio fuere in suo Moreto conficiendo, &
Alcoranus. consarcinando absurdo Alcorani libro, Azoara 2.47.54.62.86. ita scribunt, Deum daturum famulis suis in Paradiso mundas mulieres, et pulchras virgines, pulchris oculis (talibus ipse forte delectabatur) daturũ item cibos optimos, & malogranata, & potum generosissimũ, quem ex elegantibus poculis & pretiosissimo argento bibituri sint: vestiẽdos esse auro, & purpura atq; serico, gestaturos torques aureos: præsertim verò bibituros ex amœno & suauissimo fonte
Zelzebil. (fortè Phantasticorum fonte) quem ipse Zelzebil nominat. Atq; prorsus ludicrè & ridiculè de paradiso loquitur, non aliter quàm quidam periocum fabulãtur de Cyribiria aut Vtopia. Dicant nunc Aduersarij vbi nam vnquã huiusmodi stultas fabulas de cœlo & æterna felicitate docuerimus aut scripserimus? Nunquã in perpetuum hoc ostendere & probare poterũt, nisi nostra verba peruertant. Cur igitur nos publico & manifesto mendacio turpiter infamant?

Nos

Nos verò è cõtra verè possumus illis demonstrare, ipsorũ Rabbinos tale cœlum cõtexuisse, quod in nullo loco & tamen vbiq; sive in omnibus locis sit, in quo etiã diaboli sint, quoniã cœlum eorum etiã apud inferos, & sursum in aere & nescio vbi non existit. In summa dolendũ est ipsos suis rixis & contentionibus de cœna Domini eousq; progressos esse. Verũ hæc est iusta merces quæ illis à Deo rependitur, cũ enim omnem suã diligentiã impendere deberent, vt thronum quẽ Deus pater Filio suo in cœlis gloriose præparauit, coram omnibus celebrarent & proponerent, illi contra huius exiguam aut nullam rationẽ habuerũt, omnemq; operã & laborem summa cum diligentia in eo consumpserunt, vt Christo alium & nouum thronũ inferius in tertis in pane erigerent, itaq; hic perturbati & implexi, subinde magis magisq; perturbantur. Cœlum ubiquarium.

Atq; hęc quidẽ hactenus, neq; enim plura de eorũ cœlo vbiquario, & inferno quoq; vbiquario (nam de hoc quoq; absq; vllis argumẽtis noua quædã stulta imò abhorrenda fingunt) dicemus aut scribem⁹, parcẽtes simplicioribus quo minus hi offendantur. Interea tamen fraternæ charitatis causa admonemus Aduersar. nostros vt cautius & magis cõsideratè loquantur & scribant, ac sæpe animo repetant grauissima verba Seruat. N. Iesu Christi, Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniãt scandala, veruntamẽ vę homini illi per quẽ scandalũ venit: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in pfundum maris.

SEPTIMVM CAPVT ACCVSATIONIS.

Zvingliani ab initio quando confeßio Augustæ anno Domini 1530. edita est, se in causa Sacramenti veritati opposuerunt, & schisma in ecclesia fecerunt. Contemnunt & contumeliis afficiunt virum Dei doctorem M. Lutherum: cuius tamen prophetia nūc impletur, qua prædixit, fore vt sicut nunc præsentiam corporalem in pane negent, ita etiam diuinitatem in carne Christi abnegaturi sint.

RESPONSIO.

DVDVM quidem & sæpe antehac ad omnes partes huius accusationis respondimus, & nos defendimus, si modò apud Aduersarios amica responsio & explicatio controuersiæ aliquem locum haberet. Attamen denuò respondemus eodemque modo quo antehac, idque propter eos qui nostram responsionem nondum perceperunt, ne illi offendantur, & falsis accusationibus contra nos exacerbentur, ac præterea etiam seducantur: itaque de controuersia alioqui varia & multiplici, in hanc sententiam breuiter respondemus.

Vnde hæc doctrina orta sit in nostris regionibus.

Cum fideles Christi & ecclesiæ ipsius ministri Zuinglius & Oecolampadius piæ memoriæ, atq; cum his multi alij pij ministri, in superiori

riori Germania magno cum periculo moleſtia & labore, attamen ſimul etiam Dei beneficio magno cum fructu Euangelium prædicarent, & noua dogmata atq; errores Papatus impugnarent, & Deo adiuuante profligarent, viciſſim verò Chriſti doctrinam propagarent, & eccleſiam exædificarent, inter pios & fideles homines complures fuerunt, qui apud ſuos paſtores conquerebantur de peculiaribus & arcanis ſuis tentationibus & afflictionibus. Nam cum hactenus in Papatu edocti fuiſſent, ſibi neceſſariò credendum eſſe corpus Chriſti ea magnitudine qua in cruce pependit in ſacramẽto adeſſe, atq; adeò ipſum corpus Chriſti præſens eſſe, ſic vt panis non amplius ſit panis ſed ipſum corpus Chriſti, quod ſub ſpecie panis adorari & corporaliter à nobis manducari oporteat. Addebatur autem, niſi quis hæcita credat, in æternum damnatum eſſe. Quare cum hæc non poſſent credere, & iudicarent ſe in diſcrimine ſalutis ſuæ verſari, petebant cõſilium à ſuis paſtoribus, quò ſuam conſcientiam tranquillam reddere & ſalutem adipiſci poſſent.

Grauiſsima hac occaſione oblata modò nominati Chriſti miniſtri, qui hactenus concionati fuerant contra ſacrificium Miſſæ, oſtentationem qua idoli modo proponitur ſacramẽtum, & eius adorationem & circumgeſtationem, & conſimilia, cogitarunt (id quod ante quoq; ſuo tempore data opportunitate facere conſtitue-

rant) ouibus fidei suæ cõmissis, idq; ex animo id desiderantibus, ex verbo Dei proponere certam & firmam doctrinam de corporali præsentia & manducatione veri corporis Christi in sacramento.

Quomodo cœperint docere de cœna Domini & quid impugnarint.

Cæterùm vt cõmodius rem aggredi possent, constituerunt Petri Lombardi quem alias Magistrum sententiarum vocant, doctrinam confutare & erroris arguere, propterea quod ea tum in vniuerso Papatu recepta esset. Quare tum illam doctrinã de Cœna Domini nostri Iesu Christi proposuerunt, quę hodie quoq; in his ecclesijs quibus nos ex Dei vocatione inseruimus constanter retinetur. Hac autem doctrina multorum vt dixi animi anxij & afflicti plurimum exhilarati & pacati sunt, quo nomine etiã seduló Deo gratias egerunt. Facta autem sunt hæc anno Domini 1524. & 1525. quo tempore nulla adhuc erat Augustana confessio, neque eius mentio adhuc aliquot annis post facta est. Eodem tempore legitimo ordine Missa abrogata est, & sacra Cœna Domini magno applausu & gaudio fidelium in eius locũ substituta, & laudabiliter celebrata est, quemadmodum hodie quoque quinquagesimo iam abinde anno celebratur. Largiatur etiam nobis hanc gratiam Deus in posterum.

A quibus certamen ortum sit.

Postquam verò in his regionibus cognitum fuit certamen exortum esse inter D. Lutherum & D. Carolostadium (cuius tamen agendi ratio non

non per omnia noſtris probabatur) atq; dicere tur Lutherum ſe parare ad oppugnandam noſtram doctrinã de Cœna Domini, & defendendam Petri Lombardi opinionem, & quamuis ſub alio nomine, pro illius tamen ſententia & doctrina ſcripturum & pugnaturum, ibi amicè cum Luthero actum eſt. Admonitus enim fuit vt diligenter ſibi caueret, ne fortè grauiter impingeret & laberetur: ne igitur conaretur Papiſtis auxilium ferre in illo dogmate, in quo à prima & veteri Apoſtolica eccleſia receſſerint, & ſupra quod præcipuè fundatum ſit ipſorum regnum, ne hac ratione Papatum rurſus erigat. Præterea ſe interpoſuerunt alij pij & docti homines, vt præuenirent ne certamen oriretur inter eos, qui alioqui in præcipuis capitibus & vniuerſa ferè Euangelica doctrina eodem modo docerent, ac indicabant quantum ſcandalum infirmis, imò omnibus, quæ gaudia & quantam ſpem Papiſtis, quantum denique impedimentum libero curſui Euangelij certamen hoc allaturũ eſſet. Verùm hęc omnia nihil apud Lutherum effecere, quominus prorumperet, & more ſuo aduerſus noſtrorũ doctrinã ſcriberet. Noſtri verò non poterant propter Lutheri ſcripta agnitam veritatẽ negligere, atq; illius doctrinã, quę Papę ſententia eſt, in hoc articulo recipere: preſertim cum illã nõ melioribus rationibus quàm Papiſtę cõfirmaret. Quare hoc modo noſtri ad reſpondendũ cõmoti ſunt, & ſic certamẽ

cœpit & in publicum erupit, atq; deinde variis scriptis & responsionibus grauiter certatũ fuit. Quis igitur veram occasionem huic certamini præbuerit, & potissimùm in culpa sit tam scandalo plenę & pernicioſæ controuersiæ in ecclesia Domini, iudicio piorum atq; prudentũ qui hæc legerint & audierint committimus.

Disputatio Bernensis.

Hoc tempore & interea dum hæc aguntur, multa colloquia in his nostris regionibus instituta sunt, præcipuè verò magna & laudabilis disputatio Bernæ publicè habita fuit Anno 1528. præsentibus multis pijs atq; doctis viris. Atq; nostra doctrina de Cœna Domini publicè illic fortiter defensa est, sicut superius breuiter indicauimus. Ac non multo post anno 1529. per Illustrissimum principem ac Dominum D. Philippum Hassiæ Landgrauium, &c. actum est de pace inter Lutherum & nostros, sicut ab initio huius libelli indicaui.

Augustana confessio.

Post ista omnia anno demum Christi 1530. Augustana cõfessio nata est, & coram Cæsaree maiestate in magnis comitijs principum, statuum & ciuitatũ Germaniæ, proposita. Verùm ante illam ecclesiæ nostrarum regionum iam ante ab aliquot annis Christiano more institutæ fuerant, & Dei beneficio pergebant & quotidie crescebant. Cæterùm huic confessioni nemo nostrorũ sese vnquam hostiliter opposuit, in summis capitibus & præcipuis doctrinæ partibus, eandem sententiam vtriq; cõfitebantur.

Sed

Sed quod ad Cœnam Domini & Missam spectabat, multa attribuebant nostri grauissimis illorum temporum, quibus confessio proposita fuit, periculis. Præterea paulò ante Marpurgensis conuentus habitus fuerat, vt supra meminimus, cuius pactis nostri stabant, interea docendo in ecclesijs suis pergentes, & patienter ferentes alterius partis doctrinam, bona spe fore vt progressu temporis se inuicem melius intelligerent.

Concordia.

Itaque breui postea actio concordiæ inter nostros & Lutherum inchoata est. Actum Lutherus nostram explicationem controuersorũ articulorum, imò nostrarum ecclesiarum confessionem de toto religionis negotio scriptam, approbauit. Itaq; rursus induciæ aut pax, idq; opera magistratuum qui has nostras regiones gubernant, facta est. Sed Lutherus non diu pacem seruauit, sed per inquietos & contentiosos homines, absque vlla nostra culpa in nos exarcebatus, turpem librum aduersus nos nominatim edidit, quem Breuem confessionem inscripsit, quem tamen multi Luthero prorsus fauentes non multum probarunt. Atque hoc modo nobis causam præbuit, & quodammodo nos coegit, vt ad conuitia ipsius respondremus, & nostram Responsionem ipsi adhuc viuenti mitteremus. In illa autem vberius descripsimus totius huius negotij historiam, quid nam actum sit ab anno Domini 1525. vsq; ad annum 1545.

Lutheri Breuis confessio.

& paulò vlterius. Num igitur nos à noſtra parte, an verò Aduerſarij noſtri in hoc negotio ſchiſma in eccleſia fecerint, & occaſionem atq; cauſam ſcindendæ eccleſiæ Chriſti præbuerint, denuò iuſto iudicio noſtrorum auditorum committimus.

Semper paci & cõcordiæ ſtudiuimus.

Interea hoc addimus, quod ſæpe ante hac in publicè editis Apologijs noſtris teſtati ſumus, nos nõ ſeiungere aut ſeparare nos ipſos ab vlla eccleſia, aut pijs & Chriſtianis hominibus, qui præcipua capita & ſummã Chriſtianæ doctrinæ integrã retinent, etiãſi in ritibus moribus & eccleſiæ adminiſtratione, atq; etiam in negotio Cœnę Domini, quoad modũ & formã preſentiæ Chriſti, nõ per omnia nobiſcũ conſentiant. Semper enim ſperamus ipſos ſi veritatis cupidi ſunt, & hanc in timore Dei quærunt, illam Dei beneficio inuenturos eſſe. Neq; quicquam illos curamus qui nos propterea criminantur. Etenim ſancti martyres Cornelius & Cyprianus, etiam de ſacro baptiſmo inter ſe controuerſiam aliquam habuerunt, non tamen propterea charitatem & fraternitatem, ſiue vnitatẽ in eadem fide ſibi mutuò renuntiarunt. Atq; cum præcipui epiſcoporũ Italiæ atq; Africæ eſſent, propter hanc ſuam controuerſiam nullum ſchiſma aut ſeparationem eccleſiarum fecerunt, cum in præcipuis capitibus non diſſentirent. Quamobrem nos quoq; & antehac et nunc quoq; obtulimus & offerimus charitatẽ & concordiam

modò

modò dictis ecclesijs. Confidimus autem in Domino, quamuis multi immodesti homines nos Satanæ tradant tanquã illius ministros, ac fures & latrones nuncupent, præterea nostras ecclesias quæ Christi sunt, latronũ speluncas vocent, nullamq; pacis mentionem audire sustineant, nihilominus plures esse ministros & ecclesias, qui nostra expositione & veræ fidei nostræ confessione contenti sint futuri, & erga nos atque nostras ecclesias Christianum animum gerant. Alteros verò pugnaces & contentiosos ad lassitudinem vsque certare patiamur, donec rectius sapiant, ac iudicium eorum Domino committamus.

Quod autem aiunt nos Lutherum contempsisse, & contumelijs affecisse, falsum est, atque de eo libri nostri testimonium perhibebunt. Verum quidem est alicubi cum absurda quædam nobis impingeret, in respondendo accidisse quemadmodum vulgari prouerbio dicitur, Qua voce quis syluam inclamat eadem illi responderi. Alioqui semper illius honori fauimus, eumq; honore prosecuti sumus, & professi etiam sumus Deum multa bona ecclesiæ per ipsum præstitisse. Veruntamen id illi non attribuimus, quod quidam nimiũ illi dediti tribuunt, vt eum Apostolis parẽ faciamus. Homo enim fuit sicut & nos omnes, qui errare potuerit, nisi sequeretur solum Dei verbum. Apostoli Christi plura dona habuerunt, vtpote legati

Lutherum non contempsimus aut contumelijs affecimus.

missi à Filio Dei, quibus nos conferre non debemus. Accidit autem hic discipulis Lutheri iuxta vulgi dictum, Aut nimium, aut parum. Ac fortè existimant Aduersarij, eam quoq; esse in his regionibus concionandi consuetudinem qua ipsi inter suos vtuntur, vbi (vt referunt) auditores plurimùm conquerũtur, se ex ipsorum concionibus nullam ferè doctrinam & consolationem, atq; ædificationem posse percipere. Conciones enim ipsorũ nihil aliud esse quam conitrua, iurgia et scurrilia conuitia cõtra Zuinglianos & Caluinianos, quos criminantur esse Sacramentarios, hostes & prophanatores Sacramentorum, Suermeros, fures, latrones, qui corpus Christi è Sacramento furto abstulerint, & animas trucident. Eosdẽ dicunt esse Arianos & Turcas, & quicquid deniq; mali excogitare possunt. Finita igitur concione, auditores nihil aliud secũ quam cõuitia & maledicta referunt. Verùm hic mos cõcionandi prorsus nõ in vsu est in nostris regionibus & ecclesijs. Neq; enim Lutheri mentionẽ aliquam non honorificam facimus, neq; consueuimus Aduersarijs nostris coràm plebe conuitiari aut scurriliter maledicere, aut aliqua alia contumelia eos afficere. Cæterùm falsam doctrinã modestè & quanta possumus perspicuitate ex verbo Dei cõfutamus, & ea prædicamus quæ ad ædificationem veræ fidei faciunt: explicamus sacram scripturam, & ex illa peccata arguimus, hortamur ad resipiscentiam,

Quales conciones habeantur in multis ecclesijs.

ſcentiam, vrgemus cõtumaces, conſolamur afflictos & anxios, & in ſũma ſtudemus ita concionari, vt eccleſia per gratiam Dei hinc ædificetur & erudiatur, confirmetur, conſolationem percipiat, & ita cum fructu aliquo à concione diſcedat, Deum laudans & illi gratias agens. Quòd ſi aliter agere vellemus, tum meritò pius & Chriſtianus magiſtratus, et vniuerſa eccleſia id non paterentur fieri. Vtinam vbiq; magiſtratus huius rei curam gererẽt, ne hominibus improbi oris, & ratione deſtitutis, quiq; tantum alios contumelia afficere ſtudent, pro ſua libidine agere concedatur. Templũ Domini non eſt domus cõtentionum et conuitiorũ, ſed domus orationis, & vtilis atq; fructiferæ doctrinæ.

Lutheri prophetia laſa.

Porrò prophetia illa qua dicitur, nos deinceps abnegaturos eſſe diuinitatẽ Chriſti in carne, ſicut nunc negemus præſentiã carnis Chriſti in pane, nunquã in æternum Dei beneficio perficietur & vera erit in noſtris eccleſijs. Ac notum eſt vniuerſo orbi, nos fideliſsimè oppugnaſſe omnes hoſtes & oppugnatores diuinitatis Chriſti, Seruetũ, Gentilem, Blandratam, Alciatum, & omnes his coniunctos, cui rei ſcripta noſtra teſtimonium perhibent. Quòd ſi forte ludas aliquis eſſet inter Apoſtolos, num id Apoſtolis obijci debet? Sunt etiam prorſus diſsimilia, Chriſti carnem in pane eſſe, & Verbum carnem factum, ſiue Deum eſſe in carne. Deum enim hominem factum eſſe, teſtimonijs

legis, Prophetarũ, & totius scripturæ comprobatur, quod autem Christus panis factus sit, nusquam scriptum extat. Atque vt hic alia testimonia veræ diuinitatis Christi prętereamus, tres testes sunt qui ita de ea testantur vt clarius non possent. Primus est D. Petrus Apostolus, qui interrogatus à Domino, Nunquid & vos vultis abire? Respondit, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Similia eius testimonia in Actis Apostolorum leguntur, & 2. Pet. 1.

Christus verus uiuusq; Dei filius.

Ioan. 6.

Ioannes initio Euangelij scribit. Verbum quod Deus erat carnem factum esse. Ac Euangelium suum concludit his verbis, Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Ac rursus testatur Ioannes. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Item, Hic est verus Deus & vita æterna.

Ioã. 1. et 20

1. Ioan. 4. & 5.

Paulus quoque testatur his verbis. Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Sic nos quoque credimus & prædicamus, ac Deum precamur vt nos in hac fide & doctrina in finem vsque confirmet.

1. Tim. 3.

Atq; hæc breuiter volui respondere ad præcipua capita accusationis quam nobis Aduersarij

Conclusio.

tij nostri intendunt, vt hac responsione testarer nostram innocentiam, & doctrinam atque ecclesiam nostram defenderem. Obsecro autem omnes qui nostram responsionem legerint aut audierint, vt eam absq; affectibus diligenter expendant. Confidimus enim in Domino Deo & liberatore nostro, doctrinam nostram Christianam esse, atq; ecclesias quibus inseruimus, esse veras, Deo gratas & Christianas ecclesias, vt quæ habeant propria signa veræ ecclesiæ, Verbum veritatis, rectam fidem, fideles preces, sancta Sacramenta, pœnitentiam, siue resipiscentiam, spem & patientiam, item Christianam misericordiam, charitatem, modestiam & concordiam, & veram remissionem peccatorum in solo & vnico Domino nostro Iesu Christo. Cui sit honor, laus & gloria, cum gratiarum actione, in æternum.

FINIS.